
BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
2 B
28

DISPVTATIONES METAPHYSICÆ

Theologicè exagitatæ,

Occaſione examinandi, an detur ens rationis obiectiuum?

Auctore Petro de Comitibus Romano artium, & ſacræ theologiæ Doctore.








Monachij penès Gregorium Linthz. 1658.

De licentia Superiorum.



Sereniſſimo, ac Potentiſſimo

IOANNI CASIMIRO

POLONIÆ REGI

Magno Duci Lituaniæ, Ruſſię, Pruſſię, Maſouiæ, Samogitiæ, Liuoniæ, Smolenſciæ, Czerniechouiæ, necnon Suecorum, Gothorum, Vandalorumq; hæreditario Regi

Petrus de Comitibus Romanus Fauſtitatem.

VIctoriarum tuarum curſus continuatus, gratulationem excipere gauiſus eſt, non ex vno, aut altero ex tuis priuatis famulis, ſed ex vniuerſo per Te, ſibi iam plenè reſtituto POLONIÆ *regno; ſed ex finitimis populis, virtute tua fæliciter tranquillatis; ex vniuerſa Europa, triumphis tuis, barbarorum incurſionibus vindicata;*

totaque demùm Christiana republica, tuis armis, ex hostium formidine liberata. Videor mihi videre, terrarum hanc vastissimam amplitudinem, longè lateq; tui nominis gloria nobiliter facundatam, vel ab ipsis deficientis mundi laciniis, quà Sol suas graditur vias, repetitque, acclamationes Tibi parere triumphales. Tua virtus Heroe magno dignissima, inter ærumnas debuit experimentum sui facere, scilicet vt grandi bellorum rudimento, notum omnibus faceres, te sanguinem hausisse, longo sæculorum decursu, sex, & triginta supra centum, e Regum sobole, vnde Hercule maior, tot simul erumpentium circumquaque hostium agglomerata pericula, Lernæo monstro simillima, nouo semper ex vulnere virium incremento repullulantia, verè tibi fierent herculeus labor. Animum habes obluctantem aduersis, non succumbentem; occurrentem arduis, non auersantem; ad palmas demùm aspirantem, & gloriam, non ad ignobilem pacē, inter regales imbellis vitæ delicias, mollitèr perfruendā. Sanguinē prodigis, vt nominis consequaris æternitatem. Præeunt virtutum exemplis, hinc Vladislaus, hinc Carolus fratres; ille militari lauro, mineruæ hic oleâ redimitus. Ex illo bellicas ar-

tes:

tes: Ex hoc ciuilem prudentiam; generositatem ex illo: iustitiam ex Carolo didicisti. Macte animis: perge virtutis callem, Germanorum fratrum vestigiis obsignatum. Dumque vtriusque decora studiosius tibi æmulanda proponis, memineris, te ad maiora natum tuæque indoli, regiæque virtuti theatrum longè augustius destinari. Tantus es, vt POLONIA, quamuis ingens, te non capiat. Te patria acclamat Regia, auito in solio, triplici rebellantium Suecorum, Gothorum, & Vandalorum diademati restituendum. Te Constantina sedes, tyrannorum suorum euersorem expectat. Te Principē suspirat barbaricis armis oppressa Thracia. Tibi palmas preparat Idumea; Teque vnum formidat, Veneto quidem leone territa, tuis tamen equis mox lacerandа Luna Othomannica. Lætare igitur, totiusque Asiæ salutationem excipere nè grauaueris, tamquam illi sponte sese subiicienti, iura daturus. Interea dum imperii tanti vocaris ad incrementa, liceat mihi, Leonis è regia tibi amantissima, lætos inter mundi totius plausus, in obsequium effusi, gratulationē Tibi instituere philosophicam. Siquidem Romani bellatores, dum triumphos ex hostibus referebant in capitolio, regium pęana

 Senatori-

Senatoribus e Curia ingen inantibus, festiuas gregariorum militum cantilenas, benignis auribus excipere non grauabantur. Disce à Planetarum Principe, regali fronte, vel ex infimis vallibus; ramo insidentes admittere salutantes. Nempe tenebrosæ noctis inuictissimo domitori, fugatorum syderum celeberrimo triumphatori, diei munificentissimo reparatori, Soli demùm per aureas orient.s plagas, triumphali curru superbissimè diē reue[h]enti, non solùm cælorū, terræque tractus, radiorum voce, nobiliter gratulantur, verùm etiam ipsæ humiles auiculæ, artificiosè in obsequium carmina modulantes, vocale donum rependere non formidant. Hæc mea tamen audacia detur pristinæ seruituti, quam tuæ Regiæ Maiestati, præstare mihi eo tempore contigit, cum regali paludamento christianæ virtutis inuolucris occlusō, te Solis instar, occasum pati non dedignantem, Roma suspexit, gloriosiùs iterùm nasciturum. Vt propterea quò magis te occulere conabaris, eò audaciùs hinc sacræ purpuræ nitor, hinc regii sceptri maiestas te sequebantur; Neque vmquam destitere, quoadusque Te POLONIÆ potentissimum Regem consalutarunt. Detur hoc benignitati tuæ eximiæ, qua neminem accedeu-


accedentem ad te, quamuis deprecatorem importunissimum, numquam benefaciendo lassatus, abigere potuisti. Detur ingenti illi animae SIGISMVNDI Patris, quem non minùs artibus gubernandi planè diuinis, quàm solio praeuntem intueris, cuius tam propria fuit facilitas, quemlibet ad se admittendi, vt iure quidem POLONICI regni delitiae vocaretur. Erat Mars belli, domi verò Apollinem referebat; Iouem Barbaris fulminandis, Saturnum autē in populis regendis, aemulabatur. Illo tantae Reipublicae clauum administrante, POLONICA bella victoriis aequata, Vsmannos, Demetrios, Basilios, Cassigeros, aliaque huiusmodi nomina Barbarorum, velut e caueis identidem erumpentium, extinxisset omnino, nisi generositatem corde gestasset verè Romanam, cuius maxima laus est, parcere subiectis, & debellare superbos. *Et ideò vel ipsos perduelles supplices accedentes ad sese, non solùm non expellebat, sed pristinam ad gratiam reuocabat. Demum detur hoc singulari tuae beneuolentiae, qua semper prosecutus es equitem ANDREAM CONTARENVM Principis CAROLI Venetiarum dignissimum filium, cui me totidem obligationum titulis obstri-*

 ctum

ctum profiteor, quot ille se Tuæ obligatum profitetur Serenissimæ Maiestati. Accessit ad Te legatus extra ordinem electus à Serenissima Venetiarum Republica, vt Tibi eius nomine gratularetur, cum prima tanti regni primordia gloriosè cæpisti. Eaque legatione ambigerem, an Tua Regia Maiestas plus acceperit, quàm contulerit beneficii. Amicitiam Tibi suam per ANDREAM *offerebat Veneta Respublica, Tuque moribus Legati suauissimi captus, amicitiam illi, huic verò amores rependisti, quorum pignus dedisti, obliuione numquam obliterandum, regio illo diplomate, quo nil amantius, nihil dulcius, optatius nihil potuisse excogitari. Viuat igitur in Te Serenissime Princeps, Senatoris tanti memoria recentissima. Ille enim erit* Alpha *in quod, recto veluti tramite, tuus regalis amor abire non dedignabitur, & ego* Iota ſubſcriptũ, *quod instar puncti, præ sui tenuitate, vix oculi respicerent tui, nisi tantum ex Domino, acciperet incrementum. Ametur ille, quoniam dignissimus est, qui vel Regibus excitet desiderium sui, & si per illum contigerit (quod spero equidem), vt iuncto armorum fædere, Venetiis in Thraciam, sororio veluti nexu,* POLONIA *copuletur, in tanto* reci-

reciproci amoris æstu, non deerit mihi, meo Alphæ inseparabiliter coniunctissimo, tuorum luminum vel tenuis repercussio, qui olim Romæ, vel ad familiaris vitæ ineunda commercia, tua solius admissus benignitate, plenissimo tui sydere satiabar. Vale, diùque vive, & Tibi, & Regno, totique Reipublicæ Christianæ. Venetiis quinto Kalendas Septembris 1658.





AD LECTOREM.

QVicunque sedulò metaphysicæ operam non dedisti, hanc meam opellam manibus nè teras, oculis nè perlustres; nã timeo, nè materiæ subtilitas metaphysicæ, tuæ aciem fugiat crassitiem intelligentię. Quòd si metaphysicam audieris, tecum animo seriò reputa, quinam fuerit præceptor tuus, vnusnè ex illis, qui textuales dicuntur, eò quòd nihil sciãt, preter textus; An eorum aliquis, qui suis elucubrationibus, ingenium locupletẽt, cognitionum vbertate, quas Auditoribus excitant, non memoriam exercent, sola grammaticali textuum expositione? Si ex illo primo genere aliquis contigerit tibi, doleo sortem tuam, & vehementer doleo; Siquidem in animo habuisti

buisti fieri philosophum, & tandem purus grammaticus factus es. Pedagogum audisti, pueriles grammaticæ repetentem præceptiones, non philosophum, naturæ pandentem arcana. Aliorum opera rescribere didicisti, non autem tuo marte philosophari; Esto Stagiritæ textus fæliciter memoriæ commendaueris; Eorum sensum, quantum verba sonant, bellè percæperis, altè retinueris. Quid tadē exinde hausisti philosophiæ? Nihil planè (si ingenuè fateri volueris) quā purā grāmaticalē versionē, ex latino idiomate in vernaculū, vel in latinū ex Græco, si græcanicā profitearis locutionem.

Non loquor hic ego de ijs Philosophis, qui textus, non tantum explicant, quàm locupletant, arrepta scilicet ex illis occasione, suo Marte philosophandi. Hi enim laudabiliter operam exercent suam; eorumque labor, subsecuta deinde plaudentium sæculorū posteritate, in præclarissimis Europæ Academijs, fæelicissimè comprobatur. Quamquam huiusmodi homines (vt ait Picus mirandulanus ingeniorum Phænix) *possunt quidem, vel in paucarum quæstionum discussione, suæ doctrinæ periculum*

facere, videlicet intrà terminos ſibi præſcriptos ab illo Auctore, in cuius verba iurarint, non tamen poſſunt, *per omnes philoſophiæ magiſtros effundi, omnes ſchædas excutere, omnes formulas agnoſcere*, vtroque ingenio præeunte, facemq; veritate geſtante, apum inſtar, ex omnium philoſophantum veluti floribus, ſapientiæ mel elicere, & fabricare. Fac enim Thomiſtæ aliquid occurrat, arduum intellectu, ſolutu difficillimum, vt multi ex Thomiſtarum primoribus profitentur, circa phyſicas illas prædeterminationes (vt vocant) à Bannio, & Aluarez propugnatas. Fac, inquam, huiuſmodi aliquid occurrat elucidandum. Thomiſta, quamuis meridie clariùs, doctrinæ falſitatem agnouerit, illam tamẽ ut verã velit nolit, ingenio incaſsùm reluctante, cogitur affirmare. Contrà verò aliquid alicui ex Ieſuitis occurrat, quod Moliniſtam illam ſcientiam, quam vocant mediam, pessundare videatur, nõ licet illi à communi totius Ieſu Societatis opinione, vel digitum deflectere, etiamſi ſole ipſo ſplendidius videretur contraria Thomiſtarum ſententia eſſe multò probabilior, multòq; tutius, in hac materia

ſentire

ſentire cum Bannio, quàm cum Molina. Quid hoc miſerius? Itane vero? Vſque adeò ſeruitus placet, vt vel ipſam mentem, ſuapte natura liberrimam, & in quã teſtante Seneca, vtpote factam ad imaginem Conditoris, nulla lege, ſeruitus cadit, vt fiant vndequaque ſerui, vnius hominis dicto velint emancipatam? Huiuſmodi ſi philoſophus fueris, meã hanc paginam, ſtatim abijce; lux enim philoſophici ſolis, pupillis tam infirmis numquam enituit. Et quod mireris, quicunq; oculos, ad veritatis aſpectum erigere nõ audent, niſi appoſitis naſo ab aliquo perſpicillis, hi numquam diuinum veritatis vultum philoſophicè contemplantur. Quoniam admouentis coloribus affecta perſpicilla, quidquid eorum oculis tranſmittunt, adorato cõcolor Auctori, à quo colorem hauſerũt, fideliſſimè referunt. Et ideo huiuſmodi homines pulcherrimam, veritatis nuditatem, quã non unicè philoſophi depereunt, numquam aſpiciunt, quia illam ſemper alieno ueſtitam arbitrio, fucoque infectam aſpicere conſueuere.

Priuſquã igitur his meis legẽdis paginis incubueris, dic mihi ſodes, lector aman.

amantissime, es nè Peripateticus, Platonicus, Stoicus, Pithagoricus, Academicus, an uerò, alicuius ex Recentioribus: assecla, Thomista, Scotista, Ægista, Bacconista, Suarista, Molinista? &c. Si alicuius auctoritati ità animũ mancipasti, ut extrà eius doctrinã, ueritatẽ reperiri nõ arbitreris, eiusq; uerba, & cõmata singula uenereris ut sacramenta, non est cur animũ applices ad mea scripta. Hæc .n. ingeniorũ quãdã redolent libertatẽ, qua nõ quid dixerint Auctores, sed cur id dixerint, examinamus. Cũ alijs cõuenimus in multis, in pluribus dissentimus; plerumque ex nostris philosophamur. Alienam doctrinam, neque admittimus, neq; abijcimus. Si ueritati minimè suffultam cernimus, puram Doctorum auctoritatem, ut plenum aere bellicum tormentum, uacuos identidem euomens bombos, tamquàm puerilem contemnimus. Siquidem dedecet Philosophum, admoto naribus unco, aliorum arbitrio, uel ad gemonias trahi. Pithagoreum enim effatum *ipse dixit*, discipulis tantùm persuaderi potuit, qui communem cum bestijs animum admittebant, & qui fortasse, ex eorum sententia, animum cum

bobus,

bobus, uel asinis commutauerant. Philosophi est rationum momenta perpendere; argumentorũ librare pondera; doctorum opiniones semel, atque iterùm ad trutinam reuocare, non ut plagiarios duces, prostitutamque sapientiam subsequantur, sed ut ex eorum scriptis, ingeniose ueluti apes, suauissimos hauriãt fauos ueritatis, quibus ingenium non exiccent, sed foueant, nouaque semper cognitionum acquisitione recentium, non solùm recreetur in dies, uerùm etiã adolescat. Desipientiam dixerim plusquàm decumanam, & inertiam planè sesquipedalem, infinitam illam discendi capacitatem, qua summus naturæ artifex humanum dotauit ingenium, angustis quibusdam alicuius certę sectę limitibus, circumscribere, extrà quos nec uagari libeat, nec liceat. Perindè quasi uel *sit abbreuiata manus Domini*, uel *omnis ferat omnia tellus*, nec plura pluribus, quàm uni impertiuerit Deus. Qui unius ingenio sapientiam metitur suam, næ ille unius meretur plausum auditoris, ignis uidelicèt, eius rescripta potiùs quàm scripta, meritissimè deuorantis.

Quòd si animum habeas, unius ueritatis

ta[illegible] indagatorem, & sectatorem, nec f[illegible] dias aliquid interdùm audire, quod [illegible] alijs non ità passim audieris agitatū, [illegible]ellum hunc meum libentèr admitte, [illegible]iusque doctrinam sedulo meditare, ut uidelicèt, uel tamquàm euidentem, indubitanter admittas, uel tamquàm probabilem tuearis, uel demùm tamquàm, falsam, appositis identidem asteriscis, suggillatam impugnes. Neque enim me pudet illius menda, siquæ fortè deprehendantur, expungere. Apellem imitatus, qui diuinam suis operibus communicaturus excellentiam, illa omnibus carpenda proponere, oculisque prætereuntium obijcere castiganda, non recusabat. Caueas tamen, nè aliud reprehendas, quàm illud, quod benè noris, intimèque perceperis, & cui operam seriò nauaueris; alioquin, cum Apelle, subsiliens è pariete, extempiò te increpabo, *nè sutor vltra crepidam.* Atquæ hæc de doctrinis in uniuersum. Quod attinet ad parerga, hæc accipe.

Materiam habes præ manibus captu difficilem, multis odiosam, delationibus impetitam. Et ideo opus mihi fuit, appositis opportunè digressionibus, do-

ctrinam

ctrinam ita rationibus confirmare, ut simul omnibus satisfacerem Ex Aduersariorum argumentis, multa congessi, quorum pleraque, ut inepta, potuissent omitti. Quia tamen maximi ab illis fiūt, & à uulgo (quo nihil est desipientius) censentur insolubilia, nè silentio uidear indigus responsionum. Ideo non solùm illa referre debui, sed in illorum solutione, ut uulgi captvi me accommodarem, longiùs etiam immorari, quàm cū alijs facio, quę utpote difficiliora, ab illis minimè allata, quippe non percæpta, prò uiris tantū doctis adduco, quibus multa possunt paucis comprehendi. Quia tamen Aduersarij, in hujusmodi scholasticis contentionibus, uidētur prętergressi cōfinia ciuilis exercitationis, ideo quia scio, illas futuras odiosas, & meritò ijs omnibus, qui partibus nō addicti, uitam seriò, inter uirtutes degunt; Ideò, inquā, nè parergorum importunitas, metaphysicarum seriem disputationum inuertens, plerosque ab earum retrahat lectione, digressiones omnes, quoad eius fieri potuit, in unum congessi, post ferè absolutam materiam, uidelicet in 2., & 3. disputationem libri 2., & in postremam

mam tertij. Quare quicunqne rixas, & parerga fastidiat, poterit illa, ac si non essent, omittere; nam adhùc totam inueniet librorum doctrinam, absque illis, in alijs disputationibus, abundè tractatam.



INDEX

INDEX

Disputationum, & articulorum

LIBER PRIMVS

DISPVTATIO PRIMA

De identitatibus in genere, vbi de perfectionibus.

DISPVTATIO SECVNDA

De distinctionibus.

LIBER

LIBER SECVNDVS

DISPVTATIO PRIMA

De rerum contingentium possibilitate.

DISPVTATIO SECVNDA

De possibilitate entis necessarij.

Art. 5.



facere, videlicet intrà terminos sibi præscriptos ab illo Auctore, in cuius verba iurarint, non tamen possint, *per omnes philosophiæ magistros effundi, omnes scholas excutere, omnes formulas agnoscere*, vnoque ingenio præeunte, faceq; veritate gestante, apum instar, ex omnium philosophantum veluti floribus, sapientiæ mel elicere, & fabricare. Fac enim Thomistæ aliquid occurrat, arduum intellectu, solutu difficilimum, vt multi ex Thomistarum primoribus profitentur, circa physicas illas prædeterminationes (vt vocant) à Bannio, & Aluarez propugnatas. Fac, inquam, huiusmodi aliquid occurrat elucidandum. Thomista, quamuis meridie clariùs, doctrinæ falsitatem agnouerit, illam tamē ut verā velit nolit, ingenio incassùm reluctante, cogitur affirmare. Contrà verò aliquid alicui ex Iesuitis occurrat, quod Molinistam illam scientiam, quam vocant mediam, pessundare videatur, nō licet illi à communi totius Iesu Societatis opinione, vel digitum deflectere, etiamsi sole ipso splendidius videretur contraria Thomistarum sententia esse multò probabilior, multòq; tutius, in hac materia

sentire

sentire cum Bannjo, quàm cum Molina. Quid hoc miserius? Itane vero? Vsque adeò seruitus placet, vt vel ipsam mentem, suapte natura liberrimam, & in quā testante Seneca, vtpote factam ad imaginem Conditoris, nulla lege, seruitus cadit, vt fiant vndequaque serui, vnius hominis dicto velint emancipatam? Huiusmodi si philosophus fueris, meā hanc paginam, statim abijce; lux enim philosophici solis, pupillis tam infirmis numquam enituit. Et quod mireris, quicunq; oculos, ad veritatis aspectum erigere nō audent, nisi appositis naso ab aliquo perspicillis, hi numquam diuinum veritatis vultum philosophicè contemplantur. Quoniam admouentis coloribus affecta perspicilla, quidquid eorum oculis transmittunt, adorato cōcolor Auctori, à quo colorem hauserūt, fidelissimè referunt. Et ideo huiusmodi homines pulcherrimam, veritatis nuditatem, quā nunc unicè philosophi depereunt, numquam aspiciunt, quia illam semper alieno uestitam arbitrio, fucoque infectam aspicere consueuere.

Priusquā igitur his meis legēdis paginis incubueris, dic mihi sodes, lector aman.

amantiſſime, es nè Peripateticus, Platonicus, Stoicus, Pithagoricus, Academicus, an uerò, alicuius ex Recentioribus aſſecla, Thomiſta, Scotiſta, Ægiſta, Bacconiſta, Suariſta, Moliniſta? &c. Si alicuius auctoritati ità animū mancipaſti, ut extrà eius doctrinā, ueritatē reperiri nō arbitreris, eiuſq; uerba, & cōmata ſingula uenereris ut ſacramenta, non eſt cur animū applices ad mea ſcripta. Hæc .n. ingeniorū quādā redolent libertatē, qua nō quid dixerint Auctores, ſed cur id dixerint, examinamus. Cū alijs cōuenimus in multis, in pluribus diſſentimus; plerumque ex noſtris philoſophamur. Alienam doctrinam, neque admittimus, neq; abijcimus. Si ueritati minimè ſuffultam cernimus, puram Doctorum auctoritatem, ut plenum aere bellicum tormentum, uacuos identidem euomens bombos, tamquàm puerilem contemnimus. Siquidem dedecet Philoſophum, admoto naribus unco, aliorum arbitrio, uel ad gemonias trahi. Pithagoreum enim effatum *ipſe dixit*, diſcipulis tantùm perſuaderi potuit, qui communem cum beſtijs animum admittebant, & qui fortaſſe, ex eorum ſententia, animum cum
bobus,

bobus, uel asinis commutauerant. Philosophi est rationum momenta perpendere; argumentorũ librare pondera; doctorum opiniones semel, atque iterùm ad trutinam reuocare, non ut plagiarios duces, prostitutamque sapientiam subsequantur, sed ut ex eorum scriptis, ingeniosę ueluti apes, suauissimos hauriãt fauos ueritatis, quibus ingenium non exiccent, sed foueant, nouaque semper cognitionum acquisitione recentium, non solùm recreetur in dies, uerùm etiã adolescat. Desipientiam dixerim plusquàm decumanam, & inertiam planè sesquipedalem, infinitam illam discendi capacitatem, qua summus naturæ artifex humanum dotauit ingenium, angustis quibusdam alicuius certę sectę limitibus, circumscribere, extrà quos nec uagari libeat, nec liceat. Perindè quasi uel *sit abbreuiata manus Domini*, uel *omnis ferat omnia tellus*; nec plura pluribus, quàm uni impertiuerit Deus. Qui unius ingenio sapientiam metitur suam, næ ille unius meretur plausum auditoris, ignis uidelicèt, eius rescripta potiùs quàm scripta, meritissimè deuorantis.

Quòd si animum habeas, unius ueri-

tatis

ctrinam ita rationibus confirmare, ut simul omnibus satisfacerem Ex Aduersariorum argumentis, multa congessi, quorum pleraque, ut inepta, potuissent omitti. Quia tamen maximi ab illis fiũt, & à uulgo (quo nihil est desipientius) censentur insolubilia, nè silentio uidear indigus responsionum. Ideo non solùm illa referre debui, sed in illorum solutione, ut uulgi captvi me accommodarem, longiùs etiam immorari, quàm cũ alijs facio, quę utpote difficiliora, ab illis minimè allata, quippe non percæpta, prò uiris tantũ doctis adduco, quibus multa possunt paucis comprehendi. Quia tamen Aduersarij, in hujusmodi scholasticis contentionibus, uidétur prętergressi cõfinia ciuilis exercitationis, ideo quia scio, illas futuras odiosas, & meritò ijs omnibus, qui partibus nõ addicti, uitam seriò, inter uirtutes degunt; Ideò, inquã, nè parergorum importunitas, metaphysicarum seriem disputationum inuertens, plerosque ab earum retrahat lectione, digressiones omnes, quoad eius fieri potuit, in unum congessi, post ferè absolutam materiam, uidelicet in 2., & 3. disputationem libri 2., & in postremam

mam

mam tertij. Quare quicunque rixas, & parerga fastidiat, poterit illa, ac si non essent, omittere; nam adhuc totam inueniet librorum doctrinam, absque illis, in alijs disputationibus, abundè tractatam.



INDEX

INDEX

Disputationum, & articulorum

LIBER PRIMVS

DISPVTATIO PRIMA

De identitatibus in genere, vbi de perfectionibus.

DISPVTATIO SECVNDA

De distinctionibus.

LIBER

LIBER SECVNDVS

DISPVTATIO PRIMA

De rerum contingentium possibilitate.

DISPVTATIO SECVNDA

De possibilitate entis necessarij.

Art. 5.



DISPVTATIO TERTIA

De subsistentia.

LIBER TERTIVS

DISPVTATIO PRIMA

De forma, & conceptibilitate entis rationis philosophicè considerati.

DISPVTATIO SECVNDA

De forma, & conceptibilitate entis rationis theologicè considerati. 438



DISPV.



DISPVTATIONES Metaphysicæ

Occasione Entis rationis.

Auctore Petro de Comitibus Romano artium, & Sacræ Theologiæ Doctore

Operis Prolusio.

VT altius à primis vsque principiis difficultatem omnem, hac super re, radicitùs extirpemus, reuocandum est in memoriam, disputationis huiusce difficultatem natale traxisse solum (vt sapientissimus innuit Bartolus) in Thessalia, Pindari intelligentia obstetricante. Cum enim Poetarum scopus sit oblectatio, & nihil magis conducat ad oblectationem animis pariendam, quàm rerum nouitas; Ideo Poesis vt propriã sibi arrogauit prærogatiuam inuentionem, per quam nouo semper illicio ingenium captiuaret. Quamobrem

obrem cùm inter ea, quæ fieri solent, exhausti penè videretur, inuentorum numero, materies inueniendi,concessa,vel vsurpata Poetis licentia, ad ea quæ potentiam omnem fugerent, gradum fecere. Atque adeo equites equis, equos equitibus in vnum permiscere; naturam vitæ, rationisque compotem, cum sensu ipso carentibus; concretas corpori, & seiunctas confundere; lapides plantis, plantas brutis, hominibus bruta, communi, vnoque centaurorum, chimærarumque vocabulo, nulloque facto discrimine, compellabant.

Hinc cæpta est agitari quæstio, an quãdo huiusmodi figmenta mens nouitatis auida comminiscitur; An, inquam, verè operosa fingẽtis intelligẽtia moliatur obiecta, quæ in se sint intrinsecè, & suapte natura formaliter impossibilia, an verò ipsamet fictio intellectus chimerizantis sit instar delirii, vel somnii circa res in sese possibiles operantium; ita ut, extrà ipsam actualem intellectus operationem, nihil planè reperiatur ex parte obiecti,quod reale, & per consequens possibile non sit. Sicut enim qui noctù somniat,se opiparè,splendidèque comedere, excitatus e somno, ieiunus adhuc fame torquetur, & nihil omninò præ-

ter

ter somnium habet; Ita qui per intellectus figmentum equum rationalem, uel hominem hinnibilem chimerizat, nihil præter ipsam fictionem habeat, ex iis quæ prius erant realia, & possibilia, uidelicet præter equum, & hominem?

Verùm quia huiusmodi difficultatis exactio dependet omninò à uera, germanaque percæptione nõnullorum terminorum, cuiusmodi sunt, identitas, vnitas, vnio, pluralitas; distinctio, possibilitas, impossibilitas, perfectio, imperfectio, & *sexcenta alia similis rationis, ideo priusquam illam intrinsecùs agitemus, pauca cursim de his agemus, Antiquis Philosophis omninò ignota: à Recentiorum plerisque uel non obseruata, uel non percæpta: à nonnullis ob rei subtilitatem neglecta: à P. Antonio Perez, meo quõdam ingeniosissimo, & eruditissimo præceptore, uix adũbrata: à nullo, quem ego uiderim, medullitùs, & usque ad ultimas fibras enucleata.*

Igitur materiam hanc uniuersam tres in libros diuidemus, in quorum primo agemus de huiusmodi terminis: In secundo de rerum possibilitate: Et in tertio de ipsa forma, & conceptibilitate Entis rationis,

quod dicitur metaphysicum, seu impossibile, quorum occasione multas alias libet ex metaphysicis disputationes intermiscere, his uel affines, uel necessarias, cuiusmodi sunt de Perfectionibus, de Præcisionibus obiectiuis, de Trinitate, de modis, de subsistentia, aliæque sexcentæ cùm theologis, tùm metaphysicis vtilissimæ.



LIBER



LIBER PRIMVS

De terminis quibusdam, qui passim occurrunt in metaphysicis, et praecipuè in materia de ente rationis.

NOnnulli crassiore quadam, pinguique minerua, metaphysicas agitãtes difficultates, vnionem intrinsecam cũ identitate confundunt. Siquidem putant, omnia ea, quæ in ordine ad identitatem, dicuntur incompossibilia, dici quoqne talia in ordine ad vnionem. Atque adeò tantumdem censent absurdi sequi ex eo, quòd admittatur, hominem vniri substantialiter cum cane e. g., ita vt vtriusque naturæ faciant vnum, idemque compositum substantiale, quod sequeretur ex eo, quòd admittatur, hominem cum cane realiter identificari; vtrumque promiscuè, tamquam chimæricum, & impossibile, e re-

rum poſſibilium calculo proſcribẽtes. Quare nomine hircocerui, & centauri (quos vulgò citant vt obiecta omninò impoſſibilia) nihil intelligunt aliud, quàm vnionem aliquam intrinſecam inter hircum, & ceruum, hominem, & equum, ratione cuius fiat quid tertium ſubſtantiale participans de natura hirci, & de natura cerui, quod dicatur hircoceruus; ſiue participans de natura hominis, & de natura equi, quod communi vocabulo centaurus appelletur. Ideò vt appareat, quàm ſit inepta eorũ iſthæc philoſophandi ratio, operæ pretium duxi intentatum vſque adhuc ſubire callem, omniaque ſpectantia ad huiuſmodi terminorum pleniſſimam cognitionem, exactiſſimè, & accuratiſſime tradere. Duas ergo hic inſtituemus diſputationes, alteram de identitatibus, & alteram de diſtinctionibus.



DI-

DISPVTATIO PRIMA

De Identitatibus in genere, vbi de Perfectionibus.

ARTICVLVS PRIMVS

Quid sit identitas in genere, & per quid distinguatur ab unione, & vnitate?

IDentitas ingenere est forma abstracta huius concreti *idem*, cuius subiectum sunt extrema, quorum est identitas, & quæ dicuntur idem. Quare nomine identitatis intelligitur totum illud, per quod vnum est idem cũ alio. Cum autem esse idem sit nõ distingui, & viceuersa; Ideo omnis identitas opponitur distinctioni in eo genere, in quo est identitas, & omnis distinctio opponitur identitati in eo genere, in quo est distinctio. Vnde sequitur, identitatem non posse dari, nisi cum eo, cuius est identitas. Atque adeo, quamuis videatur sonare dualitatem, re tamen ipsa

non datur, nisi in vno aliquo simplici indiuisibili, excludente à se omnem distinctionem, & multiplicabilitatem partium, siue actualium, siue potentialium.

Dices, identitas est conceptus relatiuus. Relatio autem non est ad se, sed ad aliud. Ergo identitas non solùm non tollit distinctionem extremorum, quæ dicuntur eadem, sed potius illam necessariò supponit.

Nego maiorem. Quamuis enim nos non possimus concipere identitatem, nisi concipiamus duo, quorum vnum, videatur habere rationem fundamenti, & aliud rationem termini, non tamen proinde illa verè sunt duo, sed vnum tantùm, & solùm distinguuntur per nostrum modum concipiendi, seu secundùm dici. Eo planè modo, quo nos non possumus loqui de diuina misericordia quin concipiamus illius distinctionem à diuina Iustitia, neq; possumus quidquam philosophari de homine, quin concipiamus illius distinctionem ab animali rationali; Et tamen tàm Diuina misericordia est vnum, & idem realiter cum diuina Iustitia, quàm homo cum animali

animali rationali. Quare conceptus obiectiuus idẽtitatis est omninò simplex, & absolutus, quamuis conceptus formalis, saltem secundùm dici, videatur compositus, & relatiuus.

Ex his patet primum discrimen inter identitatem, & vnionem. Nam unio cùm sit nexus, seu uinculum duorum, necessariò dicit pluralitatem in eo genere, in quo est unio, adeoque dicit necessariò distinctionẽ inter ea, quæ unit, seu nectit. Quis enim potest concipere unionem animæ rationalis e.g., nisi cõcipiat quoque uel corpus, uel aliquod aliud, cũ quo ipsa anima uniatur? Alioquin cõciperetur anima sibi ipsi unita, quod est ridiculum. Idẽtitas uero, cùm sit ratio formalis intrinseca, non nectit, sed constituit formaliter id, quod dicitur idem. Cũ ergo sit impossibile, quòd aliquid constituat formaliter duo, debet unum tantùm constituere, quod nõ faceret, si aliqualem supponeret extremorum distinctionem. Ergo illã debet omnino tollere, tamquam sibi maximè aduersatricem.

Hinc obiter infer, quàm parum philosophicè procedant ij omnes, qui affe-

runt, in continuo tam successiuo, quàm permanenti, omnes & singulas illius partes esse solùm in potentia distinctas & non actu, quamuis actu inter sese, nexu, seu unione aliqua physica connectantur: Quì enim fieri potest, ut pars A. aquæ e. g. uniatur cum parte B, cum qua est realiter idem? Quis non uidet, ex huiusmodi admissione, admittēdum quoque fore, partem A. uniri sibi ipsi, quod nos reiecimus ut ridiculum? Præterea quomodo posset pars A. esse unū & idem cum parte B., à qua est realiter separabilis? Alioquin posset idem à se ipso separari, quod sine risu audiri non potest.

Vnde elicio secundum discrimen inter unionem, & identitatem; Quia uidelicet illa cū sit superaddita extremis, potest etiam ab illis separari; Identitas uerò ab extremis separari non potest, & ideo nō est illis superaddita, ut infrà probabitur. Quare unio opponitur quidem actuali extremorum diuisioni, nō autem actuali distinctioni. At identitas opponitur non solùm diuisioni, uerùm etiam distinctioni.

Ex quibus patet, physicè, & realiter, iden-

identitatem ab unitate non distingui, quamuis formaliter, & metaphysicè distinguatur. Conceptuum enim siue formalitatum diuersitas non semper arguit diuersitatem obiectiuarum, ut suprà innuimus. Nam certè diuersus est conceptus formalis hominis, utpote definiti, à conceptu formali animalis rationalis, utpote definientis; & tamen ex parte obiecti sunt unum & idem omninò indiuisibile. De unitate autem hìc non agimus ex professo, quia fusè illam explicuimus in logicis, cùm ageremus de uniuersalibus.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Quid sit Identitas realis, ut sic?

IDentitas ut sic alia est rationis, & alia realis. Illa cũ sit opus rationis, unde sumit denominationem, peculiarem exigit infrà tractationem. Nunc hìc tantùm agimus de reali. Idẽtitas ergo realis est illa, quæ datur à parte rei, antecedenter ad omnem nostram operationem intellectiuam, & nihil est aliud, quàm *cõsensus intrinsecus,*

seu summa communicatio in omni prædicato dicente perfectionem siue simplicem, siue simpliciter simplicem. Harum autem perfectionum essentiam, & discrimen infrà explicabimus. Quare non possunt aliqua extrema esse idẽtificata realiter, nisi habeant communem omnem perfectionẽ, ita ut nulla omninò perfectio conueniat uni, quæ eadem alteri non conueniat.

Quòd si quæras, quomodo possit cognosci huiusmodi cõsensus intrinsecus, seu summa communicatio perfectionum? Respondeo bene hoc explicari per mutuam affirmabilitatem extremorum in recto, idest quòd ad hoc ut extrema realiter identificentur, debent ita se habere ad inuicem, vt vtrumque possit in recto de alio affirmari, & nullum sit prædicatum perfectiuum, quod affirmetur de vno, quod etiam de alio affirmari non possit. Et ideo homo est identificatus realiter cum animali rationali, quia totum illud perfectionis, quod affirmatur de homine, affirmatur etiã de animali rationali, & viceuersa. Et præterea sicut est verum, quod *homo sit animal rationale*, hoc de illo in recto

præ-

prędicãdo;Ita est etiã verũ, *quòd animal rationale sit homo*, hominem in recto de animali rationali prædicando. Contra verò anima rationalis, quamuis corpori vnita, non est realiter cum illo identificata. Primò quia non possunt mutuò in recto affirmari, neque enim potest dici *anima rationalis est corpus*, & e conuerso. Et deinde quia animæ rationali conuenit perfectio immaterialitatis, quæ corpori non conuenit.

Dices; Homo est identificatus cum animali, & tamen de illo non potest affirmari, quòd sit aliquid indifferens ad *binnibile, rugibile &c.* sicut potest affirmari de animali. Ergò non habent consensum intrinsecum in prædicatis perfectiuis. Prętereà non potest dici *animal est homo*, quamuis possit dici *homo est animal*. Ergò non habent mutuam affirmabilitatem in recto. Et per consequẽs hæc duo prædicata non sunt de ratione realis identitatis.

Distinguo primam partem antecedentis. Homo est identificatus cum animali adæquatè sumpto, idest secundùm omnia, quæ dicit animal, nego: Est idẽtificatus inadæquatè, idest secundùm aliquid

aliquid ex illis, quæ dicit animal, concedo antecedens. Et concessis alijs, distinguo simul vtrumque consequens. Animal secundùm id, quod est identificatum cum homine, nō habet cum illo consensum intrinsecum perfectionum, vel non est mutuò in recto de illo affirmabile, nego consequentiam. Animal secundùm totum illud, quod dicit, non habet cum homine hæc duo prædicata, concedo consequentiam. Dico enim hæc prædicata esse quidèm de ratione identitatis realis adæquatæ, non autem de ratione inadæquatæ.

Ratio huius rei à priori est, quia identitas inadæquata verè non est identitas, nisi secundùm aliquam partem. Non ergo debet admittere prædicata essentialia identitatis secūdùm totum, alioquin esset identitas adæquata, sed solùm secundùm eam partem, secūdùm quam est identitas. Cum igitur animal sit genus transcendens per omnes species animalium, vtique non potest secundùm totum identificari cum homine, qui est vna tantùm illius species, & vnum animal, alioquin homo esset omne animal, sed debet cum homine solū iden-

identificari secūdùm illam sui partem, seu animal, quod est in homine. Ad saluandam ergo realem identitatem inter hominem, & animal, sufficit; si de hoc animali, quod est in homine, dicta verificentur. Cùm igitur de hoc animali, quod est in homine, non possit dici, esse aliquid indifferens ad *rugibile, hinnibile &c.* Et præterea cùm possit in recto mutuò affirmari de homine, nam sicut potest dici *hoc animal est homo*, ita potest dici *homo est hoc animal*, sequitur, quòd verificetur de illo vtrumque prædicatum, & per consequens, quòd sit realiter cum homine identificatum.

Vrgebis: Ergo pôtest aliquòd totum secundùm aliquam sui partem identificari cum alio realiter, & secundùm aliā non identificari; nam *animal* secundùm *rationale* identificatur cum homine, & secundùm *hinnibile* non identificatur; Sed hoc est impossibile, iuxtà doctrinā supra traditam. Ergo altetutrum falsū. Probatur minor. Nam si fingamus A. e. g. constare ex tribus prædicatis essentialibus (supposito quòd totum identificetur cum suis partibus, reiecta hìc celebri opinione de totalitate superaddita)

dita) verè cum singulis illis tribus identificatur. Non potest autem cum illis identificari, nisi cũ singulis illis habeat consensum intrinsecum in perfectionibus; ergo non potest secundum B. e. g. identificari cum C; quin etiam cum illo identificetur secundùm D; Alioquin nõ omnia, quæ affirmantur de vno ex duobus realiter identificatis, affirmarentur de alio. Probatur consequentia; nam de A. affirmaretur identitas realis cum. C; quæ identitas non affirmaretur de ipso D. realiter identificato cum A.

Distinguo maiorem. Si loquamur de toto aliquo physico constante ex partibus physicis, & realibus, nego maiores. Si de toto aliquo metaphysico cõflato ex partibus metaphysicis, concedo maiorem. Et distincta eodem modo minori, nego consequentiam. Ratio à priori est, quia totum, siue compositũ metaphysicũ, quale est genus respectu specierum, & species respectu inferiorum, nullam dicit veram identitatem intrinsecam, & realem cum suis partibus, quæ ideo dicuntur potestatiuæ, & non constitutiuæ, seu essentiales, sed solùm dicit identitatem resultantem ex

vnitate

vnitate cõceptus abſtractiui,vt vidimus in logicis. In tantum enim homo,leo,& equus dicũtur idẽtificari cum animali, inquantum ſub illo formaliter,& metaphyſicè non diſtinguũtur,eo quòd concipiantur ſub eodem conceptu cõfuſo. Cæterùm phyſicè loquendo homo eſt diuersũ animal à leone,equo &c.Quare cùm huiuſmodi tota, ſeù compoſita in ſenſu reali, & phyſico non ſint aliud, quàm ipſa plura inferiora, ex quibus facta eſt per intellectum illa abſtractio, adèoque natura vniuerſalis,mirum non eſt, ſi poſſint ſecundùm aliquid ſui idẽtificari cum alio, & ſecundùm aliud nõ identificari, quia verè & realiter habẽt aliud & aliud, per phyſicam, & realem diſtinctionem. Atque adeo idẽ eſt, animal ex.g. realiter ſecundùm aliquid ſui identificari cum homine, atque ipſum ſolùm animal rationale cum homine identificari.

Totum autem phyſicum,quia habet veram, & realem identitatem cum ſuis partibus, non poteſt ſecundùm vnam ex illis identificari cum alio, quin etiã cum eodem & cæteræ illius partes idẽtificentur. Alioquin ſi pars A. identifi-

caretur-

caretur cum.D, cum quo pars B. non identificaretur, verificarentur de ipso toto.C. contradictoria, videlicet quòd identificaretur, & non identificaretur cum.D.Probatur consequentia. Nam totum C.nil est aliud physicè,quam A. & B. simul sumpta. Quando ergo dico C.identificari cum D.,dico A.& B. idētificari cum D.Si ergo hoc non obstāte, dicatur totum. C. non identificari secundum B; simul & semel identificaretur, & non identificaretur cum D; eo quòd de eadem parte B.simul & semel affirmaretur, & negaretur identitas cum D.

Quòd si adhuc difficilius insurgas. Ipsum B.identificatur cum toto C;cum quo itidem A. identificatur, absque eo quòd B. identificetur cum A. Ergo potest aliquod totum physicum identificari cum alio tertio secùndùm aliquam sui partem, & non identificari secundùm aliam.

Respōdeo cū distinctione cōsequētis: Si sermo sit de toto aliquo physico diuisibili, & in ordine ad identitatem inadæquatam;concedo; Secùs autem dico,si vel sermo sit de toto physicè indiuisibili,

uisibili, (cuiusmodi est anima in sententia Thomistarũ admittente realem potentiarum distinctionem) vel in ordine ad identitatem adæquatam.

Ratio à priori est, quia identitas inadæquata, in rebus diuisibilibus, non est identitas totius, sed identitas illius partis cũ se ipsa. E.g. identitas inadæquata hominis cum corpore, verè & realiter non est identitas ipsius hominis, sed ipsius corporis cum se ipso. Cùm enim homo sit aggregatum ex corpore, & anima vnitis, non potest homo identificari cum corpore, quin etiam ipsa Anima cum eodem corpore identificetur, nè admittamus de eodẽ toto contradictionem nuper reiectam identitatis, & non identitatis cum eodem. Et hæc est ratio, quare quamuis Anima identificetur cum eodem homine, cum quo corpus identificatur, quin anima, & corpus identificentur inter se, non tamen proinde quidquam censeatur exinde derogatum illi principio, *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se.* Quia videlicet illud procedit solùm de vera, & physica identitate, qualis non est identitas inadæquata, solùm taliter

dicta

dicta per abusionem termini, cùm veriùs vocanda fuerit inclusio, seu inexistentia in toto.

Excæpi totum indiuisibile, quia cùm hoc uel nō sit totum, nisi metaphysicè, uel non habeat perfectionum proprietatem partibus communicatam, in ordine ad operationes ad extrà, uel est omnino simplex, & cessat omnis difficultas, quia uerè, vt nuper dixi, totū non est, quod sonat partium multiplicitatē; uel indiuisibiliter communicatur. Atque adeo fieri non potest, admissa illa sententia de animæ potentiarum distinctione, quòd vna ex illis identificetur cum alio extrà animam, quin etiam cum eodem & aliæ, adeoque tota anima identificentur.

Potissima difficultas contra ea, quæ diximus, petitur ex ineffabili mysterio Santissimæ Trinitatis, in quo solo uidetur falli definitio à nobis tradita, realis identitatis. Siquidem habemus ex fide, Patrem Æternum habere consensum intrinsecum, & summam communicationem cum filio in prædicatis perfectiuis (alioquin uterque non esset Deus, quod esset blasphemum damna-

tum

cum in Arrio) & tamen ille non est idē realiter, seu ex natura rei cum hoc, nè sentiatur cum Sabellianis impiè negātibus in Deo Personarum distinctionē. Vnde videtur sequi falsitas doctrinæ tamquam uniuersaliter non subsistentis. Verùm quia difficillimi huius argumenti solutio pendet maximam partē ex vera, germanaque notitia perfectionis; Ideo priusquam ad illius solutionē ueniamus, nonnulla prius de perfectionis intelligētia præmittenda putaui.

ARTICVLVS TERTIVS

Quid sit perfectio simplex, & per quid distinguatur à perfectione simpliciter simplici? Examinantur definitiones nonnullorum Recentiorum.

PErfectio formalis ut sic, quatenùs præscindit à simplici, & à simpliciter simplici, dupliciter definitur à P. Antonio Perez. Primò enim dicitur *ultima ratio constitutiua siue essentiæ, siue entitatis cuiusque entis actu existentis, aut habentis rationem boni æstimabilis.* Et deinde, *Est ratio boni per se expetibilis, &* de-

delectabilis, non merè propter utilitatem, aut quia sequitur aliquid.

Verum vtraque hæc definitio peccat in aliquo. Siquidem prima peccat in hoc, quòd dicat omnem perfectionẽ esse constitutiuam essentiæ, siue entitatis, quod puto falsum. Ratio est, quia formalis perfectio debet aduenire enti iam completè existenti in suo esse, vt infrà probabitur. Debet enim illi aliquid superaddere, ratione cuius præponderet cõtradictorio. E. g. Intellectio perficit hominem, quia superaddit illi aliquod, quod in nullo sibi opposito inueniri potest; Contra verò anima rationalis non dicitur perficere hominẽ, quia illum formaliter constituit. Illud autem, quod constituit formaliter aliud, non aduenit constituto; Alioquin omnis pars essentialis intrinseca esset formaliter perfectio totius, quod nemo dicet.

Ex quo sequitur, omnem perfectionem formalem esse accidens, non solũ quia alteri inhæret, vt est intellectio respectu intelligentis, sed etiam quia nõ est in gratiam sui, sed alterius. Vnde patet, malè ab aliquibus fuisse distinctã perfe-

perfectionem formalem in essentialem & accidentalem, cùm nulla perfectio formalis sit essentialis. Cùm enim perfectio sit actus essentiæ, quam perficit, hæc habet respectu illius rationem potentiæ, quæ cum actu identificari non potest, loquendo de actu physico, qualis est perfectio, de qua loquimur, vt infra.

Neque obstat, quòd existentia dicatur perfectio essentiæ, immo ceterarum fundamentum, quamuis in sententia probabili, cum illa realiter identificetur, adeoque illi vt actus, seu accidens aduenire non possit. Hoc, inquam, non obstat, quia existentia non est perfectio formalis, sed solùm radicalis, seu fundamentalis essentiæ. Et ideo bene dicitur cæterarum perfectionum fundamantum, quia videlicèt ipsa formaliter non est perfectio. Eò planè modo, quo potentia volitiua est quidem fundamentum volitionis, non tamen est volitio formaliter.

Quòd si dicas, in Deo nullum dari accidens & tamen dari cumulum omnium perfectionum; Respondeo, in Deo nullam dari perfectionem formaliter,

liter, de qua hìc loquimur, sed solùm virtualiter,& eminenter. Et ideo in illo perfectionem esse substantialem, seu essentialem. In tantum enim dicitur, Deus continere omnem perfectionem excogitabilem, in quantum eius essentia est tantæ venerationis, & æstimabilitatis, vt facta comparatione illius cũ singulis, præponderet omnibus perfectionibus excogitabilibus. Cæterùm sicut in eo nulla datur compositio, seu potentialitas; Ita neque vlla datur formaliter perfectio, de cuius essentia est componere,& inhærere. Quare quãdo dicitur, Omnipotentia est perfectio (quòd idem dico de Bonitate, Sapientia &c.)nihil dicitur aliud,quàm diuinã essentiam esse talem, vt si comparetur cum quolibet alio operante,cognoscẽte, bono &c. ipsa essentia diuina sit multò, immò per infinitum excessu n dignior, æstimabilior, & laudabilior; non quòd habeat in se aliquod à se distinctum,per quòd mereatur peculiarẽ æstimabilitatem,hoc enim pugnat cum eius summa simplicitate.

Quòd si adhuc vrgeas, aliam in homine esse perfectionem intelligendi, & aliam

aliam potentiæ intellectiuæ,illam videlicet accidentalem,& hanc essentialem; Respondeo,supposita identitate potẽtiarum cum anima, potentiam intellectiuam non esse homini perfectionem formaliter,sed solùm radicaliter;adeoque mirum non esse, si sit aliquid substantiale.Perfectio autem radicalis non est perfectio, nisi impropriè, quatenus videlicet continet in se tamquam effectum ipsam perfectionem formalem, quam potest elicere. Sicut enim homo formaliter nõ intelligit per potentiam intellectiuam, sed solùm potest intelligere; Ita per illam formaliter non perficitur,sed potest perfici.

Sin autem supponamus potentiarũ distinctionem ab anima, tunc potest etiam concedi,huiusmodi potentias esse animæ perfectiones formales, quia adhuc illi aduenirent per modum actuũ, illique inhærerent vt accidentia, quæ duo diximus necessaria ad rationem perfectionis formalis.

Dices: Per potentiam intellectiuam homo distinguitur à brutis. Ergo qualibet facta hypothesi illius identitatis cum anima,adhuc est illi perfectio formalis;

maris;nō accidentalis; ergo essentialis. Nego consequentiam. Per hoc enim, quòd potentia intellectiua distinguat hominem ab equo, non sequitur, eam esse perfectionem formaliter, sed solū radicem aliquam, seu fundamentum, ex quo possit homo habere operationē talis æstimabilitatis, vt illi similem bruta habere non possint. Quando igitur homo dicitur perfectior equo, tunc sermo est de perfectione radicali, non de formali, sicut dicitur rationalis radicaliter & non formaliter.

Vnde patet, mensuram cuiuscunque perfectionis formalis esse æstimabilitatem, præponderantiam, seu præferibilitatem, quam habet ipsa perfectio supra alia. Quò enim aliquid est pluribus præfer bile, & æstimabile, eò etiam est dignius, & perfectius. E. g. perfectior est homo, quàm equus, quia homo non solùm est præferibilis lapidi, & plantæ, quibus est præferibilis equus, sed præterea comparatus cū ipso equo, habet supra illum præponderantiam in æstimabilitate. Et Angelus est perfectior homine, quia est præferibilis nōn solùm ijs, quibus prefertur equus, & ijs, quibus præ-

præfertur homo, sed etiam præponderat ipsi homini. Cùm ergo Deus præponderet, non solùm omnibus ijs, quæ de facto dātur, sed omnibus etiam possibilibus, & excogitabilibus; Ideo dicitur infinitè perfectus, & ens omnium perfectissimum.

Quia tamen tota æstimabilitas, & preferibilitas est in ordine ad perfectionem formalem; Angelus enim ideo est hominibus præferibilis, quia potest elicere operationem multò perfectiorem, quàm homo: Quod idem dicito de homine præ equo, & de equo præ planta, &c. Ideo nomine perfectionis simpliciter prolatæ, debemus intelligere perfectionem formalem.

Neque obstat, quòd Deus nullam possit elicere operationem in se, quę sit formaliter perfectiò, eo quòd intelligat velit, amet &c. formaliter per essentiā. Id n., quòd in se facere nequit, facit extrà se perfectionibus quas efficit, & dispergit in creaturis; Siquidē est laudabilis causa per effectū. Atq; adeo, cæteris paribus, illa causa, quæ effectum producit nobiliorē, illi debet præferri, quæ ignobiliorē producit. Cū ergo Deus ponit

semper producere effectus, absque vlla comparatione, omnibus iam factis, & faciendis tātò nobiliores: Ideò est causa, atque adeo ens omnium perfectissimum.

Ex dictis infer, omnem diuinam preferibilitatem, adeoque perfectionem, saltem in ordine ad nos, fundari in omnipotentia, non quia possit producere creaturas rationales, à quibus laudetur, vt aliqui probabiliter dicunt, sed ex alio capite. In tantùm enim Deus ex. g. cognoscendo est infinitè laudabilis, & æstimabilis, in quantùm potest producere infinitas creaturas cognoscitiuas perfectiores, & perfectiores, quarum omnium cumulus cognitionum, multò minorem mereatur æstimationem, & laudem, quàm sola cognitio ipsius Dei. Et ideo est infinitè laudabilis in bonitate, quia potest producere infinitas creaturas meliores, & meliores, quarū omnium bonitatum cumulo, semper ipse vt omnium optimus, maiorem æstimationem, & laudem mereatur. Et sic de singulis.

Altera quoq; perfectionis definitio, ex duabus supra relatis ex P. Perez, mihi

mihi non probatur. Primò quia dicit, omnem perfectionem esse per se expetibilem, cùm multæ sint perfectiones essentialiter relatiuæ, quæ nullā habent expetibilitatem, nisi in ordine ad aliud. Vt est ex.g. dictamen, seu cognitio practica dictās mihi hic & nūc A esse mihi bonum: Ita enim hęc cognitio est perfectio mei, vt tamen essentialiter, & intrinsecè ordinetur ad amorem ipsius A. Quod idem valet de amore mediorū vt talium, qui essentialiter ordinatur ad amorem finis. Prætereà displicet etiam, quòd perfectionem omnem vocauerit delectabilem. Nam vel est delectabilis formaliter ipsi subiecto, vel effectiuè obiecto? Non primum, quia quamuis omnis existentia sit perfectio, non tamen existentia in ærumnis est delectabilis existenti. Ita etiam omnis scientia est perfectio, & tamen scientia suæ reprobationis, & multò magis suæ actualis pænalitatis non est delectabilis ipsi scienti. Neque potest dici secundum, quia scientia Dei de damnatione Iudæ non est delectabilis ipsi Iudæ.

Prius igitur quàm nostrā afferamus Perfectionis definitionem, notādum est

primò, *perfectionem* vt ſic aliam eſſe *moralem*, & aliam phyſicam. Moralis *dicitur* à moribus, & eſt illa, quæ habe*tur* formaliter per actum virtutis, qui dicitur bonus mos. Et definitur communiter cum Ariſtotele *diſpoſitio perfecti ad optimum*, eo quòd omnis virtus ita perficiat potentiam operatiuam, vt illã diſponat ad operationem perfectam, quæ eſt optimum illius. Quia tamen hæc operatio aliquando eſt optima theologicè, & aliquando philoſophicè; Ideo perfectio, ſeu virtus moralis diuiditur etiam in theologicam, & philoſophicam. Theologica diſponit ad viſionem, ſeu fruitionem beatificam, quæ conſtituunt formaliter beatitudinem ſupernaturalem, vt ſunt actus fidei, ſpei, & charitatis. Et philoſophica, diſponit ad voluptatem, & indolentiam, ſeu ad quodcunque aliud, in quo formaliter conſiſtat naturalis beatitudo, vt ſunt e.g. actus temperantiæ, fortitudinis, iuſtitiæ, & omnes alij medij, inter defectũ, & exceſſum vitioſos. Verùm de vtraque hac non agimus in præſentia, cùm primam ad Theologos, & ſecundam ad ethicos remittamus.

Perfectio

Perfectio physica, de qua hic loquimur, dicitur a *physis*, quod significat naturam, eo quod consistat formaliter in aliquo physico, seu naturali. Hæc autem est multiplex. Primò enim potest aliquid vocari perfectum essentialiter, videlicet quando totum est actu, & nihil illi deest ex partibus essentialibus, vt esset e. g. domus aliqua omnibus numeris absoluta. Sicut enim, quando illi deerat pars, dicebatur imperfecta; Ita quando nulla illi pars deest, dicitur *perfecta*, quòd idē sonat, atque *tota effecta*, sicut *imperfecta*, idem sonat, atque *non tota effecta*, cum ly *in* cadat negatiuè *super* ly *perfectum*. Et hæc perfectio est simpliciter cuique necessaria, & est prima cæterarum radix, & fundamentum.

Secundò dicitur aliquod perfectum integraliter, quando videlicet est integrum, idest quando habet omnia, quæ nō solùm illud formaliter constituunt, sed etiam complent in statu quodam integritatis excedentis gradū essentiæ, seu entitatis simpliciter existentis. Nā homo ex. g. carens oculo dicitur imperfectus, non quia illi desit vlla perfectio in primo sensu, quia verè habet omnia

prædicata essentialia, & constitutiua hominis, sed quia illi deest oculus, qui est perfectio integralis, idest cuius existentia complet, & eiusdem absentia nō corrumpit substātialiter, sed deformat. Et hæc perfectio est magis æstimabilis propter expulsionem, quam infert, contrariæ deformitatis, quàm propter existentiam actualem sui. Nam homo habens nasum non tanti fit, quantùm contemnitur carens naso.

Tertiò dicitur aliquid perfectum accidentaliter, quando scilicet habet non solùm totum illud, quod est sibi necessarium ad entitatem essentialem, & ad integritatem, verùm etiā habet multa alia ad ornamētum, & delicias. Vt esset e. g. homo, cui nihil desit ex partibus tàm essentialibus, quàm integralibus, & præterea sit sapiens, diues, in dignitate cōstitutus &c. Quamuis enim sapiētia, diuitiæ, & dignitas talem hominem nō cōstituant essentialiter, vel integraliter in esse hominem integrum, & perfectū, illum tamen ornant, & faciunt magis amabilem, & æstimabilem, quàm sit quicūque alius, qui huiusmodi non habeat prædicata. Et hæc vel sunt intrinseca, vt sa-

sapientia; vel extrinseca, vt diuitiæ. Si primum, constituunt perfectionem accidentalem intrinsecam, quæ per antonomasiam dicitur perfectio, & in ordine ad quam cæteræ denominantur. Si secundum, constituunt perfectionem accidentalem extrinsecam, quę impropriè solùm dicitur perfectio. Vtraque autem diuiditur in simplicem, & simpliciter simplicem, quarum hìc notionem, & discrimen indagamus.

ARTICVLVS QVARTVS.

Resoluitur status quæstionis, & affertur vera definitio huiusmodi perfectionum earumque, discrimen.

HIs ita statutis, Dico primò, perfectionem formalem physicam, quatenus præscindit à simplici, & à simpliciter simplici, definiri non posse vniuersaliter loquendo, nisi in ordine ad præponderantiam suo opposito, seu contradictorio, siue accipiatur in abstractò, siue in concreto, ita vt totum illud si perfectio, quòd præponderat suo contradictorio. Pro-

batur, quia cùm omnis perfectio sit positiua, eo quòd debeat perficere, non potest esse prędicatum conueniens non enti, quòd nullam habet perfectibilem entitatem; Atque adeo omne perfectū, immò perfectibile est positiuum, cùm omnis perfectio vel sit existentia formaliter, vel fundetur in existentia. Sed omne positiuum prępónderat non enti sibi opposito. Ergo omnis perfectio præponderat suo opposito, seu contradictorio. Vnde elicitur, omne non ens esse imperfectum, & nullam inuoluere formaliter perfectionem, immo nec posse inuoluere: Ratio est, quia cùm nō existat, neque habet formaliter perfectionem existētiæ, neque potest habere vllam aliā perfectionem consequentem ad existentiam. Quare cùm omnis perfectio opponatur alicui defectui per ipsam formaliter exclusibili, omnis perfectio habet præponderantiam ad suum oppositum, & quia illud est non ēs, & quia est defectus, seu imperfectio.

Cui doctrinæ videtur etiam subscribere doctissimus Sforzia Pallauicinus magister meus lib.8. de Deo c.9. n. 93. vbi ait, perfectionem esse mensuram

sui,

sui, & defectus oppositi. Quia cum mẽsura (vt inibi probat) debeat esse primũ in quolibet ordine & prius sit positiuũ, quam negatiuum, & perfectum, quàm imperfectum ordine dignitatis, debent hæc per illa mensurari.

Sequitur ex his, malè à nonnullis restringi definitionem traditam ab Anselmo, ad solam perfectionem simpliciter simplicem, videlicet, quòd in quolibet ente *sit melior ipsa quàm nõ ipsa*. Hãc enim puto cuilibet cõuenire perfectioni, propter exclusionem imperfectionis oppositæ. Non tamen proinde censeo, omnem perfectionem physicã formalem esse simpliciter simplicem.

Dico igitur secundò, bene distingui has duas perfectiones per hoc, quòd perfectio simplex consistat formaliter adæquatè in præponderantia ad suum contradictorium negatiuè sumptum, quod cùm sit non ens, est essentialiter imperfectio, videlicet non existentia perfectionis oppositæ. Perfectio verò simpliciter simplex non solùm præpõderat ad suum contradictorium, seu ad sui non ipsum contradictoriè, & negatiuè sumptum, sed etiam ad sui nõ ipsũ

præcisiuè sumptum, & in tota sua latitudine, siue illi opponatur contrariè, siue relatiuè, siue quocunque alio genere oppositionis. Probatur, & explicatur quia Paternitas ex. g. in diuinis est quidem perfectio simplex, eo quòd prępōderet suo contradictorio, videlicet negationi Paternitatis, quæ est essentialiter non ens, adeoque imperfectio. Quis enim poterit dubitare, an sit melior Paternitas diuina, quàm negatio diuinę Paternitatis? non tamen est perfectio simpliciter simplex, quia Paternitas diuina non præponderat omni non Paternitati etiam præcisiuè sumptæ; nō enim præpōderat diuinæ filiationi, quæ est non Paternitas præcisiuè, eo quòd non sit melior Paternitas, quā filiatio, alioquin filius non esset Deus, propter inclusionem imperfectionis, & carentiā perfectionis, quod est absurdum. Quare vtraque Perfectio est *melior ipsa, quàm non ipsa*, cùm hoc discrimine, quòd respectu perfectionis simplicis ly *non* accipitur solū negatiuè, & respectu Perfectionis simpliciter simplicis, accipitur etiam præcisiuè.

Confirmatur, quia hæc doctrina ex vna

vna parte saluat, Personalitates diuinas esse ratione sui formaliter perfectiones & ex alia neque tollit discrimen inter perfectionem simplicem, & simpliciter, simplicem, neque Personalitatum diuinitatem, consistentem formaliter adæquatè in inclusione formali omnium perfectionum simpliciter simplicium, quæ in omnibus reperitur eodem modo, vt patebit solutione obiectionum. ergo est optima.

Contra hanc doctrinam duplex potest esse difficultas. Prima est huiusmodi. Non est melius esse, Patrem in Diuinus, quàm non esse Patrem, alioquin Pater Aeternus esset melior, & perfectior Filio. Sed non esse Patrem opponitur contradictoriè ad esse Patrem. ergo esse Patrem non præponderat suo contradictorio; Et per consequens vel non est perfectio simplex, vel præponderantia ad suum contradictorum non est de essentia perfectionis simplicis.

Altera difficultas potest esse, quia admissa hac Doctrina, nulla daretur perfectio simpliciter simplex ex genere; sed omnis perfectio simpliciter simplex

plex esset ex toto genere, quod est falsum. Probatur assumptum, quia omnis perfectio simpliciter simplex præponderaret ad omne non ipsum, in tota sua latitudine, vt nuper dictum est, quod est proprium perfectionis ex toto genere. Quod autem dentur aliquæ perfectiones simpliciter simplices solùm ex genere, & aliæ ex toto genere, probatur, quia *esse sapientem* præponderat toti generi opposito, videlicet omni *non sapienti*, adeoque est perfectio ex toto genere; Contra verò *esse naturaliter incorruptibile* est perfectio solùm ex genere, quia quamuis præponderet alicui illam non habenti, vt sunt lapis, lignum &c. non tamen præponderat homini naturaliter corruptibili, alioquin materia prima, propter huiusmodi incorruptibilitatis perfectionem, esset perfectior homine, quod est ridiculum. ergo non præponderat toti generi, sed solùm alicui, vel aliquibus sub illo contentis.

Ad primam distinguo maiorem: non est melius esse Patrem, quàm non esse patrem in diuinis, si ly *non* accipiatur negatiuè, nego: si accipiatur præcisiuè,

uè, concedo maiorem. Et distinguo minorem: non esse Patrem, negatiuè sumptum opponitur contradictoriè ad esse Patrem, concedo: non esse Patrem præcisiuè sumptum opponitur contradictoriè ad esse Patrem, nego minorem; & cum illa cōsequentiam. Verùm quia hoc videtur facessere aliqualem difficultatem ex particula *non*; Ideo ad hoc vt clarissimè pateat responsionis soliditas,

Notandum est, particulam *nō* posse accipi vel negatiuè, vel præcisiuè. Tunc accipitur negatiuè, quando negat, idest tollit, seu excludit sui oppositū, & tunc supponit prò negatione, seu non existētia oppositi, obiectiuè sumpta, saltem si sermo sit de terminis incomplexis. Tūc accipitur præcisiuè, quando significat præcisionem formalem à tali obiecto, & tunc supponit prò illo, prout affecto tali præcisione formali; Atque adeo infinitat terminum significantem, non tamen tollit, seu negat obiectum significatum. Ex. g. hic terminus *non Petrus* negatiuè sumptus, significat non existentiam, seu negationem Petri, & ideo opponitur contradictoriè ipsi Petro;

Præci-

Præcisiuè autē sumptus significat totū illud, quod non est Petrus vt formaliter ab illo præcisū, videlicet leonē, ferrum, lapidem, &c. Et ideo cùm hæc sint infinita, hic terminus dicitur infinitari, eo quòd attingat per modum obiecti infinita. Quare non opponitur contradictoriè ipsi Petro; Alioquin cum contradictoria nō possint simul coexistere, existente Petro, nihil posset existere, quia nullum posset existere *non Petrus*, & omne præter Petrum sit *non Petrus*, quod est absurdum.

Hoc posito, Pater Æternus est quidem melior, quàm negatio Patris, non tamen est melior omni eo, quod nō est Pater, sicut sunt Filius, & Spiritus Sanctus. Et ideo Pater est melior *non Patre* negatiuè, quod est contradictorium Patris, non autem est melior *non Patre*, præcisiuè sumpto, quod Patri contradictoriè non opponitur.

Ad secundam difficultatem, cōcedo sequelam, quæ tantum abest, vt sit absurda, vt ab omnibus concedenda sit, videlicet omnem perfectionem simpliciter simplicem esse ex toto genere, & nullam dari solùm ex genere, cōtra ea

quæ

quæ probat, cum cõmuni Philosophorum, & theologorum censu, eruditissimus Perez supracitatus. Ratio à priori est, quia perfectio simpliciter simplex, ratione sui formaliter, debet esse melior ipsa, quàm non ipsa negatiuè sumpta, videlicèt debet præponderare suo contradictorio formaliter sumpto, vt contradictorio. Non præponderaret autem, si illo non esset melior ex toto genere. Ergo omnis perfectio simpliciter simplex debet esse melior *non ipsa* ex toto genere. Maiorem supra probauimus. Minor probatur, quia si fingamus e. g. incorruptibilitatem naturalẽ materiæ primæ esse perfectionem simpliciter simplicem, & præponderare tantùm alicui naturaliter corruptibili, sed nõ omni. Non ergò præponderaret suo contradictorio, adeoque non esset perfectio simpliciter simplex, contrà suppositum.

Probo consequentiam. Cõtradictorium *incorruptibilis* (quod idem sonat, atque *non corruptibile*) est *corruptibile*. Sed illud accipitur particulariter, quia supponit prò sola materia prima, adeoque æquiualet huic *aliquid non corruptibile*.

ruptibile. Ergo ad hoc vt saluetur contradictio, cõsistens formaliter in repugnantia propositionum secundũ quantitatem, & qualitatem, hoc secundum debet accipi vniuersaliter, videlicet *omne corruptibile*; Alioquin si etiam hoc acciperetur particulariter, essent duo subcontraria, ideſt *aliquod non corruptibile*, *aliquod corruptibile*, non autem cõtradictoria. Ergo nõ poteſt illud dicere præponderantiam supra hoc, vt sui cõtradictorium formaliter, nisi hoc accipiatur vniuersaliter, adeoque secundũ totum genus. Ergo ly *corruptibile* debet ab illo excedi, videlicet à materia vt incorruptibili, secundùm omnia, quæ sub se continet, atque adeo etiam secundùm indiuiduum hominis, alioquin non erit perfectio simpliciter simplex.

Dices: ergo materia prima erit perfectior homine. Distinguo consequens: materia prima erit perfectior homine secundùm quid, ideſt in hoc genere, concedo: simpliciter, & absolutè loquẽdo, nego consequentiam. Nullum autem eſt absurdum, quòd ens cæteroqui perfectiſſimum, excedatur ab alio imperfectiſſimo in aliquo genere perfectionis.

ctionis. E. g. Sol in ratione viuentis est imperfectior musca; quamuis illam superet in tot alijs prædicatis. Potest ergo concedi, etiam hominem superari à materia prima, in ratione incorruptibilitatis, quam homo non habet, quia huiusmodi exsuperantia compensatur ab homine excessu multò maiorum perfectionum, quas materia prima non habet, ratione quarum dicatur semper tantò perfectior ipsa materia prima. Quòd autem homo superetur à materia in hoc prædicato, euidenter colligitur ex opposito. Si enim fingamus, hominem conuenire cum materia, in ratione incorruptibilitatis, esset multò perfectior, quàm nunc sit, quod fieri non posset absque alicuius acquisitione perfectionis, qua de facto homo caret, & materia non caret. Quis autem poterit dubitare, an habens perfectionem actualem sit perfectius de facto illâ nõ habente, in eo ordine, in quo est perfectio?



ARTI-

ARTICVLVS QVINTVS.

Soluitur argumentum petitum ex mysterio Sanctissimæ Trinitatis, contra ea, quæ supra diximus de Identitate reali. Vbi multa inseruntur ad intelligentiam huius difficillimi mysterii.

EX ijs, quę diximus de quidditate, & discrimine perfectionũ, facilis erit solutio ad argumentum, quod supra innuimus in fine articuli secundi. Argumentum autem est huiusmodi. Pater in diuinis dicit consensum intrinsecum, & summam communicationem cum filio in prædicatis perfectiuis, & tamen non est idem realiter cum illo; alioquin alterum sequeretur ex duobus absurdis, videlicèt vel quòd alteruter non esset Deus, propter defectum alicuius perfectionis, vel quòd ab inuicem non distinguerentur, propter realem vtriusque identitatem. Ergo doctrina supra tradita, de identitate reali, vniuersaliter nõ subsistit, & per consequens est falsa.

P. Antonius Perez conatur soluere hoc argumentum duplici via. Primò di-

distingẽdo maiorẽ, Pater dicit consensum cum filio in omnibus perfectionibus ratione sui formaliter, seu ratione Paternitatis, negat. Pater dicit hunc cõsensum ratione naturæ, seu essentiæ diuinæ, concedit antecedens. Et eodem modo distinguit consequens. Ergo Pater est idem cũ filio identitate essentiæ, seu naturæ diuinæ, concedit: Identitate Personæ, seu Personalitatis, negat consequentiam. Secundò concedit antecedens, supponendo diuinas Personalitates, ratione sui formaliter, neque esse perfectiones, neque imperfectiones; & negat consequentiam.

Verùm pace tanti viri, quem non solùm vt magistrum, sed vt sapiẽtiæ oraculũ veneratus fui, vtraque hæc solutio nõ subsistit. Nõ prima, quia si Pater nõ habet consensum intrinsecũ cũ filio in perfectionibus ratione Personæ, neque habet ratione essentiæ; atque adeo non est Deus. Probo consequentiam ad hominem contrà ipsum. Consensus intrinsecus in omni perfectione est, quòd nulla perfectio conueniat vni, quę alteri nõ conueniat, vt supra vidimus. Sed si non detur consensus in Persona, cùm hæc sit per-

perfectio, vt mox probabitur, nō datur consensus in omni perfectione, eo quòd Patri conueniat perfectio Paternitatis, quæ filio nō conuenit. Ergo à primo ad vltimum, vel habent consensum in omnibus perfectionibus etiam relatiuis, absque vlla Personarum distinctione, quod est impium effatum Sabellianorũ; vel neque habent huiusmodi cōsensum in perfectionibus absolutis, absque vlla reali cum diuina essentia Personarum identitate, quod est hæresis Arrianorũ, per summum nefas Verbo negantium diuinitatem. Ergo hæc doctrina nullatenùs est recipienda, quæ disiunctiuè adigit in huiusmodi errores, & inextricabiles difficultates.

Neque potest confugere ad secundã solutionem negantem Personis rationē perfectionis. Hoc enim non solùm sapit hæresim Arrianorum, sed illam videtur quodammodo superare; nam illi vnam tantùm Personam diuinitate priuabāt, hæc autem doctrina omnes Personas Deos inficiatur. Quis enim poterit intelligere, quomòdo aliquod diuinum necessario denominans, cui ratione sui formaliter tribuimus operationem aliquam

aliquam præcipuam ad extrà, vt est incarnatio, nullam dicat ratione sui formaliter perfectionem? Immo quòd vniuersa Personarum augustissima Trias, ratione Personarum formaliter non sit dignior musca, quæ ratione sui formaliter est Perfectio? Vt quid enim mereatur summum cultum illud, quod neque est simpliciter perfectio? Profectò, ingenuè fateor, hoc meę vt acię fugiens intelligentiæ, semper exosus fui, & numquam mihi probabile visum fuit.

Dices, Persona meretur summum cultum ratione deitatis, cùm qua est realiter idem, quã impiè Arriani Verbo inficiabãtur. Ergo quamuis ratione sui formaliter non sit perfectio, non tamen proinde deest illi vlla perfectio necessaria ad esse Deum; Et per cõsequens hæc doctrina neque sapit Arrianismum, neque Sabellianismum.

Sed hæc quoque responsio auget, nõ tollit difficultaté. Qui enim fieri potest, vt aliquid, quod ratione sui formaliter nullo modo est perfectum, mereatur identitatem cum alio dicente ratione sui formaliter omnem perfectioné excogitabilem? Neque valet instantia de

ter-

terminationibus liberis idẽtificatis realiter cum diuina essentia, & nullam de se formaliter dicentibus perfectionem. Posse enim Primò, ex isto capite, non parum infirmari illa doctrina nouissima, adeo incerta. Et deinde non deesset apta disparitas afferenda. Nam terminatio libera non necessariò denominat, sicut Persona; neque constituit formaliter speciale suppositũ per se subsistens; Et ideo nulla illi tribuitur specialis operatio ad extra, vt tribuimus Personę.

Relictis igitur huiusmodi responsionibus, vt in forma respondeam ad agumentum supra factum, distinguo antecedens. Pater dicit consensum intrinsecum, & summam commnuicationem cum filio in perfectionibus simpliciter simplicibus, concedo: In perfectionibus omnibus, etiam simplicibus, nego antecedens, & cũ illo cõsequentiã. Dico ergo, identitatẽ realem dicere cõsensũ intrinsecũ in omnibus perfectionibus siue simpliciter simplicibus, siue simplicibus, vbi illę sunt. Cũ igitur diuinę Personę nõ dicãt cõsensũ in Personalitatibus, quæ ratione sui formaliter sũt Perfectiones simplices, sed solùm in perfectio-

ctionibus simpliciter simplicibus, vnde cõstituitur formaliter essentia; Ideo ex vna parte sunt Deus, & ex alia distinguuntur ab inuicẽ. Quæ doctrina quantò dignius sentit de Deo, in quo nihil admittit, quod quomodocunque consideratum, non sit perfectum? Alioquin si aperiatur via, admittendi in Deo aliquod in se formaliter non perfectũ, nõ video cur tãtopere ab illo remoueatur potentialitas, per quam ita aliquod in se recipiat, quod ratione sui formaliter neq; Deo inferat vllam perfectionem, neque imperfectionem.

Dices, supposito, quòd admittatur, Personalitates esse ratione sui formaliter perfectiones. Ergo singulæ non habent omnem perfectionem excogitabilem, quia Pater non habet perfectionem filij, & e conuerso. Ergo nòn sunt Deus.

Distinguo antecedens. Non habent omnem perfectionem excogitabilem, si sermo sit de perfectione simpliciter simplici, nego: si sermo sit etiam de simplici, transeat antecedens, & nego consequentiam. Cùm enim ratio Deitatis saluetur formaliter per inclusionẽ

omnium perfectionũ ſimpliciter ſimplicium, ſi Perſonę habeant conſenſum cum Diuina eſſentia harum perfectionum, in tali incluſione habẽt totũ illud, quod ſufficit ad rationem Deitatis. Dix: *tranſeat antecedens*, quia quamuis ſingulæ Perſonæ ratione ſui formaliter nõ includant perfectiones aliarum, illas tamen includunt ratione eſſentiæ, cum qua ſunt realiter identificatæ. Atque adeo adhuc de ſingulis poteſt verè dici ſaltem idẽticè, quòd includant omnem perfectionem excogitabilem, & nullum inuoluant defectum, ſeu imperfectionẽ.

Vrgebis. Pater ratione ſui formaliter non includit filiationem. Ergo ratione ſui formaliter includit defectum illius, adeoque imperfectionem; & per conſequens ratione ſui formaliter non eſt Deus.

Nego conſequentiam. Primò quia filiatio non eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, de cuius ſolius ratione eſt, quòd eius oppoſitum ſit defectus. Secundò quia, etiamſi per impoſſibile hic eſſet defectus, ſupponeretur excluſus à diuina eſſentia, cum qua Pater eſt realiter idem, per incluſionem filiationis, cum

cum essentia identificatæ. In quo obseruа, diuinas Personas non dicere deitatem, seu diuinitatẽ ratione sui formaliter, alioquin essent tres Dij, sed ratione essentiæ. Et ideo dicuntur emanare quodammodo ab essentia, & esse ex eius excessu perfectionis, non autem ex indigentia, vt loquitur Nazianzenus. Quare etiamsi concederetur, Diuinas Personas ratione sui formaliter nõ esse Deum, sed solùm identicè ratione essentiæ, nullus esset error in fide.

Neque obest, quòd essentia diuina non communicet filiationi perfectionẽ Paternitatis, cum qua ipsa est realiter identificata; Hoc enim arguit solùm discrepantiam inter Paternitatem, & filiationem in perfectionibus simplicibus, seu relatiuis, non autem discrepantiam in perfectionibus absolutis, seu simpliciter simplicibus. Pro cuius intelligentia, supponẽdum est ex theologia, perfectiones simpliciter simplices dici perfectiones absolutas, eo quòd absolutè conueniant omnibus Personis, & perfectiones simplices dici relatiuas, seu notionales, eò quòd sint propriæ singularum. Pater ergo habet consensũ

intrinsecum, & summam communicationem cum filio in primis, sicut habet etiam filius, & Spiritus Sanctus; & ideo omnes sunt Deus, contra Arrianos; Discrepat autem in secundis; Et ideo distinguitur à filio, & Spiritu Sancto contrà Sabellianos. Quia verò consensus in perfectionibus absolutis habetur à Patre cum alijs Personis, non ratione personæ, sed essentię, seu naturę; Ideo Pater nō est idem realiter cum alijs Personis, quamuis sit cum illis idem Deus, quia Personarum distinctio nō tollit earumdem cum eadem communi essentia identitatem.

Dices demum, & difficiliùs. Est impossibile quòd ex pluribus realiter idētificatis vnum participetur, & aliud nō participetur. Sed Paternitas participat ab essentia diuina perfectiones absolutas. Ergo vel participat etiam relatiuas cum illis realiter identificatas, & redit Sabellianismus; vel neque participat absolutas, & redit Arrianismus.

Distinguo maiorem. Si loquamur de formalitatibus, quæ ita realiter identificentur, vt tamen distinguātur virtualiter intrinsecè, & habeant oppositionē rela-

relatiuam, nego. Si non distinguantur virtualiter intrinsecè, & non habeant oppositionem relatiuam, concedo maiorem. Et concessa minori, nego consequentiam. Et dico, Personalitates diuinas esse quidem realiter identificatas cum essentia, non tamen virtualiter intrinsecè. Sicut ergo in omnium s. n. etiā debemus, iuxtà fidem, fateri totam naturam diuinam, quæ est in Patre, communicari filio, absque eo quòd cōmunicetur Paternitas cū illa realiter identificata; Ita possumus, immo debemus dicere, communicari filio omnes perfectiones absolutas, non autem relatiuas. Et ideo Theologi inuexerūt in scholas distinctionem quamdam inter essentiā diuinam, & Personas, quam vocarunt virtualem intrinsecam, de qua infrà, vt videlicet saluarent huiusmodi contradictoria, quam distinctionem neque admittimus, neq; possumus admittere in creatis, vt probabimus suo loco. Et hæc est ratio, quare in Diuinis debeamus admittere inter idētificata aliū, & aliū imo dualitatē, & trinitatē, quod diximus supra in creatis repugnare cū idētitate reali, Quia videlicet ratione distin-

stinctionis virtualis intrinsecæ, peculiarem sibi uendicant philosophandi prærogatiuam formalitates diuinæ, quæ nulli alij conuenire possit.

Quòd si hoc videatur captu difficile, dandum est non doctrinę supra traditę, sed materiæ de Trinitate inter omnes speculabiles tam philosophicas, quàm theologicas difficillimæ; Quæ ideo non est obiectum euidens, & scientificum, sed solùm probabile, quantùm sufficit, adhoc vt sit mysterium fidei, & obscurissimum, iuxta illud Diui Pauli *fides est substantia sperandarum rerum, argumentũ non apparentium*. Quia si res creditæ apparerent, idest si essent euidentes, non essent articuli fidei, qui solùm nunc videntur per speculum in ænigmate, vt idem asserit.

ARTICVLVS SEXTVS

Quid, & quotuplex sit Identitas rationis? Vbi de Identitate virtuali tam intrinseca, quàm extrinseca.

IDentitas rationis est illa, quæ habetur formaliter per aliquam nostrā ope-

operationem intellectiuam, vel in ordine ad illam. Hæc autem est duplex, alia quæ dicitur virtualis intrinseca, & alia, quæ dicitur virtualis extrinseca.

Identitas virtualis intrinseca est illa, quæ præter consensum intrinsecum in prædicatis perfectiuis, dicit etiam consensum in omnibus alijs prędicatis nullam ex se dicentibus perfectionem. Quare identitas virtualis intrinseca in hoc tantùm discrepat ab identitate reali, quòd illa non tollat distinctionem virtualem intrinsecam, seu extrinsecam, hæc autem tollat vtramque. Ex quo sequitur, esse impossibile, quòd aliquæ duæ formalitates sint idem virtualiter intrinsecè, nisi habeant consensum in omni planè prædicato. Et ideo idētitas virtualis intrinseca dicitur identitas omnibus modis, & est magis identitas, quàm realis. Vnde sequitur, inter *hominem*, & *animal rationale* dari huiusmodi identitatem, non autem dari inter naturam diuinam, & Personalitates.

Dices. Hæc identitas datur à parte rei, ergo non est identitas rationis. Probatur antecedens, quia tam id quod est

homo, quàm id quod est animal rationale, dantur à parte rei.

Nego consequentiam. Siquidem dixi ab initio, identitatem hāc dici rationis, non solùm quia habeatur formaliter per rationem, sed etiam quia habetur in ordine ad rationem. Præterquamquòd posset etiam dici, hanc identitatem dari à parte rei solùm fundamentaliter, sicut diximus in logicis de vnitate specifica, nō autem formaliter. Ratio est, quia cùm identitas rationis sit conceptus relatiuus, & relatio non sit, nisi inter plura; Ideo ad hoc vt concipiatur identitas inter hominem, & animal rationale, debet prius formalizari per intellectum ad faciendam pluralitatem entitatum. Debet enim prius abstrahi ly *animal* vt genus, & deinde ly *rationale* vt differentia, quæ sunt opera rationis.

Neque valet paritas identitatis realis, quam supra negauimus esse relatiuam. Ratio est, quia identitas realis est inter formalitates reales, quæ antecedenter ad omnem nostram operationē intellectuā, sunt vnū, & idem simplex, sufficiens ad rationem talis identitatis

forma-

formaliter. Ergo nil debent ab alio accipere, ratione cuius, vel dicant, vel possint admittere dualitatem necessariam ad relationem. Hoc autem non militat de formalitatibus formalibus, quæ non sunt tales in se, sed extrinsecè ab alio fiunt tales, adeoque pluralizatæ fiunt etiam relatiuæ.

Instabis: De animali rationali affirmatur quòd sit conceptus clarior, & de homine quòd sit obscurior; Preterea de illo quòd sit definitio, & de hoc quòd sit definitum. Ergo non habent consensum in omni planè prædicato, & per consequens non sunt idem virtualiter intrinsecè.

Distinguo consequens: Non habent consensum in omni planè prædicato intrinseco, nego: In omni predicato etiā extrinseco, concedo consequentiam. Cum ergo dicitur, identitas virtualis intrinseca dicere consensum in omni prædicato, sermo est tantùm de prædicatis intrinsecis, non autem de extrinsecis, quæ non sunt prædicata propria talium formalitatum, inter quas affirmatur hæc identitas; Et ideo dicitur virtualis intrinseca. Quòd autem hæc

prædicata sint extrinseca homini, & animali rationali, probatur, quia cognosci clarè, vel obscurè est extrinsecum obiecto cognito; Quòd idē dico de hoc quod est esse definitionem, vel definitū. Cum enim definiri sit cognosci secundum genus, & differentiam, vtique est extrinsecum definito. Esse autem definitum vel accipitur materialiter, & specificatiuè, vel formaliter, & reduplicatiuè vt definitum? Si primum, cùm nullam dicat formalitatem rationis, tā conuenit homini, quàm animali rationali, quę materialiter non distinguūtur, & non est ad rem. Si secundum, iā dicit formaliter ipsam definitionē, seu actū definiētem, qui est illi extrinsecus. Ergo semper hæc sunt prædicata extrinseca extremis, quę dicuntur idem virtualiter intrinsecè.

Identitas virtualis extrinseca est idē atque identitas generica, seu specifica, si tamen genus, & species mereantur nomen identitatis. Et consistit formaliter in hoc, quòd plura concipiantur per modum vnius, ita vt vnum ab alio distingui non possit, vt vidimus in Vniuersalibus. Cùm enim identitas oppo-

natur

natur distinctioni, per illud idem, per quòd plura amittunt distinctionem, acquirunt quodammodo identitatem. Quia tamen hoc nō fit in ipso obiecto, sed solùm in mente, & in ordine ad operationes illius. Ideo cùm operatio intellectus sit extrinseca obiecto, dicitur identitas rationis, & virtualis extrinseca. Vtraque autem hæc identitas dicitur virtualis, quia in ordine ad operationes intellectus tantumdem habet virtutis, ac si esset vera identitas realis, vt videbimus in opposita distinctione.

His positis, ad plenam identitatis intelligentiam superest examinare, an identitas sit aliquod extremis superadditum? Quod quamuis posset elici ex dictis, tamen hìc facilitatis ergo, breuissimè, vt soleo, enucleabo.

Dico igitur primò identitatem realē non esse aliquid superadditum ipsis extremis siue positiuum, siue negatiuum. Probatur prima pars, quia si esset aliquod positiuum superadditum, esset aliquod ab illis distinctum, nihil enim est sibi superadditum. Ergo non posset esse ratio, propter quam extrema essēt idem inter se, adeoque non esset identi-

tas. Probatur consequentia, nihil dat, quod non habet. Ergo si identitas non est idem cum extremis, non potest illis dare formaliter identitatem; Sicut si vbicatio mea non esset hic, non posset me formaliter constituere in esse hic.

Confirmatur, quia si identitas esset aliquod superadditum, neutrum extremum esset idem cum illa. Ergo neque essent idem secum. In tantùm enim essent idem secum, in quantùm essent idem cum vno tertio, videlicet cum identitate. Ergo si cum hoc tertio non sint idem, neque sunt idem inter se. Quòd si hinc sumas occasionem, retorquendi argumentū tali pacto: Identitas est aliquod tertium respectu extremorum. Ergo est aliquod illis superadditū, alioquin non posset cum illis facere numerum; facillimè respondeo, me illam vocasse quid tertium metaphysicè, non autem physicè, adeoque constituere tantùm numerum metaphysicum; ex quo nō sequitur, eam esse quid tertium physicè superadditum, quod esset probandum.

Dices. Hæc identitas esset idem cum vtroque extremo simul sumpto, non autem

autem cum singulis seorsim, sicut tota est idem cum omnibus partibus simul & collectiuè sumptis, non verò cum singulis distributiuè, respectu quarum est aliquid superadditum. Sed contra, quia ly *simul* vel dicit aliquid, quod se teneat ex parte obiecti, vel aliquid, quod se teneat ex parte conceptus? Si hoc Secundum, ergo identitas ex parte obiecti realiter nihil est aliud præter duo extrema; & per consequens non est aliquid illis superadditum. Si primum, vel est identitas, & redit argumentum; Vel est aliqua vnio, seu nexus, & non est ad rem, cùm hæc supponat distinctionem realem partium, vt supra probauimus in primo articulo; Vel est aliquod aliud, & erit impertinens ad casum nostrum. ergo indentitas non est aliquod positiuum extremis superadditum.

Vrgebis. Identitas est aliquod simplex indiuisibile. ergo debet esse aliquod superadditum extremis. Probatur consequentia, quia hæc non sunt aliquod vnum indiuisibile, sed duo. Distinguo antecedens. Est aliquod indiuisibile in eo genere, in quo est identitas,

con-

intrinsecum, & summam communicationem cum filio in primis, sicut habēt etiam filius, & Spiritus Sanctus; & ideo omnes sunt Deus, contra Arrianos; Discrepat autem in secundis; Et ideo distinguitur à filio, & Spiritu Sancto contrà Sabellianos. Quia verò consensus in perfectionibus absolutis habetur à Patre cum alijs Personis, non ratione personæ, sed essentię, seu naturę; Ideo Pater nō est idem realiter cum alijs Personis, quamuis sit cum illis idem Deus, quia Personarum distinctio nō tollit earumdem cum eadem communi essentia identitatem.

Dices demum, & difficiliùs. Est impossibile quòd ex pluribus realiter idētificatis vnum participetur, & aliud nō participetur. Sed Paternitas participat ab essentia diuina perfectiones absolutas. Ergo vel participat etiam relatiuas cum illis realiter identificatas, & redit Sabellianismus; vel neque participat absolutas, & redit Arrianismus.

Distinguo maiorem. Si loquamur de formalitatibus, quæ ita realiter identificentur, vt tamen distinguātur virtuali[ter] intrinsecè, & habeant oppositionē rela-

relatiuam, nego. Si non distinguantur virtualiter intrinsecè, & non habeant oppositionem relatiuam, concedo maiorem. Et concessa minori, nego consequentiam. Et dico, Personalitates diuinas esse quidem realiter identificatas cum essentia, non tamen virtualiter intrinsecè. Sicut ergo in omnium fi[de] etiam debemus, iuxtà fidem, fateri totam naturam diuinam, quæ est in Patre, communicari filio, absque eo quòd cõmunicetur Paternitas cũ illa realiter identificata; Ita possumus, immo debemus dicere, communicari filio omnes perfectiones absolutas, non autem relatiuas. Et ideo Theologi inuexerũt in scholas distinctionem quamdam inter essentiã diuinam, & Personas, quam vocarunt virtualem intrinsecam, de qua infrà, vt videlicet saluarent huiusmodi contradictoria, quam distinctionem neque admittimus, neq; possumus admittere in creatis, vt probabimus suo loco. Et hæc est ratio, quare in Diuinis debeamus admittere inter idẽtificata aliũ, & aliũ imo dualitatẽ, & trinitatẽ, quod diximus supra in creatis repugnare cũ idẽtitate reali, Quia videlicet ratione di-

stinctionis virtualis intrinsecæ, peculiarem sibi uendicant philosophandi prerogatiuam formalitates diuinæ, quæ nulli alij conuenire possit.

Quòd si hoc videatur captu difficile, dandum est non doctrinę supra traditę, sed materiæ de Trinitate inter omnes speculabiles tam philosophicas quàm theologicas difficillimæ; Quæ ideo non est obiectum euidens, & scientificum, sed solùm probabile, quantùm sufficit, adhoc vt sit mysterium fidei, & obscurissimum, iuxta illud Diui Pauli *fides est substantia sperandarum rerum, argumentũ non apparentium*. Quia si res creditæ apparerent, idest si essent euidentes, non essent articuli fidei, qui solùm nunc vi dentur per speculum in ænigmate, vt idem asserit.

ARTICVLVS SEXTVS

Quid, & quotuplex sit Identitas rationis? Vbi de Identitate virtuali tam intrinseca, quàm extrinseca.

IDentitas rationis est illa, quæ habetur formaliter per aliquam nostrã

ope-

operationem intellectiuam, vel in ordine ad illam. Hæc autem est duplex, alia quæ dicitur virtualis intrinseca, & alia, quæ dicitur virtualis extrinseca.

Identitas virtualis intrinseca est illa, quæ præter consensum intrinsecum in prædicatis perfectiuis, dicit etiam consensum in omnibus alijs prędicatis nullā ex se dicentibus perfectionem. Quare identitas virtualis intrinseca in hoc tantùm discrepat ab identitate reali, quòd illa non tollat distinctionem virtualem intrinsecam, seu extrinsecam, hæc autem tollat vtramque. Ex quo sequitur, esse impossibile, quòd aliquæ duæ formalitates sint idem virtualiter intrinsecè, nisi habeant consensum in omni planè prædicato. Et ideo idētitas virtualis intrinseca dicitur identitas omnibus modis, & est magis identitas, quàm realis. Vnde sequitur, inter *hominem*, & *animal rationale* dari huiusmodi identitatem, non autem dari inter naturam diuinam, & Personalitates.

Dices. Hæc identitas datur à parte rei, ergo non est identitas rationis. Probatur antecedens, quia tam id quod est

homo, quàm id quod est animal rationale, dantur à parte rei.

Nego consequentiam. Siquidem dixi ab initio, identitatem hāc dici rationis, non solùm quia habeatur formaliter per rationem, sed etiam quia habetur in ordine ad rationem. Præterquamquòd possit etiam dici, hanc identitatem dari à parte rei solùm fundamentaliter, sicut diximus in logicis de vnitate specifica, nō autem formaliter. Ratio est, quia cùm identitas rationis sit conceptus relatiuus, & relatio non sit, nisi inter plura; Ideo ad hoc vt concipiatur identitas inter hominem, & animal rationale, debet prius formalizari per intellectum ad faciendam pluralitatem entitatum. Debet enim prius abstrahi ly *animal* vt genus, & deinde ly *rationale* vt differentia, quæ sunt opera rationis.

Neque valet paritas identitatis realis, quam supra negauimus esse relatiuam. Ratio est, quia identitas realis est inter formalitates reales, quæ antecedenter ad omnem nostram operationē intellectuā, sunt vnū, & idem simplex, sufficiens ad rationem talis identitatis

forma-

formaliter. Ergo nil debent ab alio accipere, ratione cuius vel dicant, vel possint admittere dualitatem necessariam ad relationem. Hoc autem non militat de formalitatibus formalibus, quæ non sint tales in se, sed extrinsecè ab alio fiunt tales, adeoque pluralizatæ fiunt etiam relatiuæ.

Instabis: De animali rationali affirmatur quòd sit conceptus clarior, & de homine quòd sit obscurior; Peterea de illo quòd sit definitio, & de hoc quòd sit definitum. Ergo non habent consensum in omni planè prædicato, & per consequens non sunt idem virtualiter intrinsecè.

Distinguo consequens: Non habent consensum in omni planè prædicato intrinseco, nego: In omni predicato etiã extrinseco, concedo consequentiam. Cum ergo dicitur, identitas virtualis intrinseca dicere consensum in omni prædicato, sermo est tantùm de prædicatis intrinsecis, non autem de extrinsecis, quæ non sunt prædicata propria talium formalitatum, inter quas affirmatur hæc identitas; Et ideo dicitur virtualis intrinseca. Quòd autem hæc

prædicata sint extrinseca homini, & animali rationali, probatur, quia cognosci clarè, vel obscurè est extrinsecum obiecto cognito. Quòd idē dico de hoc quod est esse definitionem, vel definitū. Cum enim definiri sit cognosci secundùm genus, & differentiam, vtique est extrinsecum definito. Esse autem definitum vel accipitur materialiter, & specificatiuè, vel formaliter, & reduplicatiuè vt definitum? Si primum, cùm nullam dicat formalitatem rationis, tā conuenit homini, quàm animali rationali, quę materialiter non distinguūtur, & non est ad rem. Si secundum, iā dicit formaliter ipsām definitionē, seu actū definiētem, qui est illi extrinsecus. Ergo semper hæc sunt prædicata extrinseca extremis, quę dicuntur idem virtualiter intrinsecè.

Identitas virtualis extrinseca est idē atque identitas generica, seu specifica, si tamen genus, & species mereantur nomen identitatis. Et consistit formaliter in hoc, quòd plura concipiantur per modum vnius, ita vt vnum ab alio distingui non possit, vt vidimus in Vniuersalibus. Cùm enim identitas oppo-

natur

natur distinctioni, per illud idem, per quòd plura amittunt distinctionem, acquirunt quodammodo identitatem. Quia tamen hoc nō fit in ipso obiecto, sed solùm in mente, & in ordine ad operationes illius. Ideo cùm operatio intellectus sit extrinseca obiecto, dicitur identitas rationis, & virtualis extrinseca. Vtraque autem hæc identitas dicitur virtualis, quia in ordine ad operationes intellectus tantumdem habet virtutis, ac si esset vera identitas realis, vt videbimus in opposita distinctione.

His positis, ad plenam identitatis intelligentiam superest examinare, an identitas sit aliquod extremis superadditum? Quod quamuis posset elici ex dictis, tamen hic facilitatis ergo, breuissimè, vt soleo, enucleabo.

Dico igitur primò identitatem realē non esse aliquid superadditum ipsis extremis siue positiuum, siue negatiuum. Probatur prima pars, quia si esset aliquod positiuum superadditum, esset aliquod ab illis distinctum, nihil enim est sibi superadditum. Ergo non posset esse ratio, propter quam extrema essēt idem inter se, adeoque non essēt identi-

autem cum singulis seorsim, sicut totū est idem cum omnibus partibus simul & collectiuè sumptis, non verò cum singulis distributiuè, respectu quarum est aliquid superadditum. Sed contra, quia ly *simul* vel dicit aliquid, quod se teneat ex parte obiecti, vel aliquid, quod se teneat ex parte conceptus? Si hoc Secundum, ergo identitas ex parte obiecti realiter nihil est aliud præter duo extrema; & per consequens non est aliquid illis superadditum. Si primum, vel est identitas, & redit argumentum; Vel est aliqua vnio, seu nexus, & non est ad rem, cùm hæc supponat distinctionem realem partium, vt supra probauimus in primo articulo; Vel est aliquod aliud, & erit impertinens ad casum nostrum. ergo indentitas non est aliquod positiuum extremis superadditum.

Vrgebis. Identitas est aliquod simplex indiuisibile. ergo debet esse aliquod superadditum extremis. Probatur consequentia, quia hæc non sunt aliquod vnum indiuisibile, sed duo. Distinguo antecedens. Est aliquod indiuisibile in eo genere, in quo est identitas,

con-

concedo: In alio genere, nego antecedens. Et dico, extrema in eo genere, in quo dicuntur identificari, esse aliquod indiuisibile, vt supra dictũ est, quamuis in alio admittãt partes. Nam e.g. *homo*, & *rationale*, quia sunt idem physicè, sũt etiam physicè loquendo quid simplex, & indiuisibile; metaphysicè autẽ quia non sunt idem, ideo metaphysicè sunt duo. Quare quando dicimus, *extrema identificantur* in numero multitudinis, tunc ly *extrema* accipiuntur vt duo, per nostrum modum concipiendi, & metaphysicè, non quia verè sint duo. Sicut cũ facimus vniuersale, concipimus plura per modum vnius, quæ verè non sunt vnum.

Quòd autem neque identitas sit aliquod superadditum negatiuum, Probatur primò, quia identitas est ratio formalis, vt diximus, quare extrema sunt vnum, & idem. Sed nihil positiuum potest constitui tale formaliter per aliquid negatiuum, alioquin nõ ens posset esse constitutiuum formale entis. Ergo cùm extrema sint positiua, non potest eorum identitas esse aliquod negatiuũ. Præterea hoc negatiuũ cui opponeretur?


tur? Non diuisioni, quia negatio diuisionis est vnio, de qua non loquimur; nō multiplicitati, quia huius negatio vel est non existentia plurium, vel solùm vnitas, quæ non sunt ad rem; non distinctioni, quia cùm distinctio nihil sit pręter extrema, vt videbimus infrà, si identitas esset negatio distinctionis extremorum, esset negatio ipsorum extremorum, adeoque neque posset esse eorum identitas, neque aliquid illis superadditum.

Id quod dixi de identitate reali, proportionaliter etiam dicendum est de idētitate virtuali intrinseca. Cùm enim hæc sit extremis intrinseca, quæ sunt aliquod physicū positiuum, non potest illis superaddi, propter rationes dictas vsque adhùc de identitate reali. His tamen non obstantibus.

Dico secundò, identitatem virtualē extrinsecam, siue genericā esse aliquod positiuum superadditum extremis cōsideratis secundùm se. Probatur, quia hæc identitas nihil est aliud, quàm vniuersalitas, seu genereitas. Sed hæc est aliquod positiuum superadditum extremis, quia aduenit illis consideratis

secun-

secundùm se, videlicet materialiter, & specificatiuè, vt probauimus in logicis. Ergo etiam illa. Dixi *extremis consideratis secundum se*, quia si hæc considerentur formaliter, & reduplicatiuè, tūc cùm includant tamquam formam intrinsecam concreto ipsam vniuersalitatem, includunt etiam ipsam identitatem, adeoque hæc non est aliquod ab illis distinctum. Ex quo sequitur, hanc identitatem propriè, & rigorosè loquendo non esse identitatem, vt probauimus in primo articulo, sed potius esse inclusionem, inexistentiam, seu connexionem aliquam accidentalem, quæ metaphoricè tantùm appellatur identitas.





DISPVTATIO SECVNDA

De Distinctionibus.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quid, & quotuplex sit distinctio? Vbi de distinctione reali, & modali, deque ipsis modis.

IDentitati opponitur distinctio. Quare tot erunt genera distinctionum, quot sunt genera identitatem. Atque adeo sicut identitas alia est realis, & alia rationis, ita & distinctio. Hic ergo singulas percurremus.

Distinctio realis est illa, quæ datur in rebus antecedenter ad omnem nostrã operationem intellectiuam. Hæc autẽ si sit inter duas res, quarum vna sit modus respectu alterius, vt est ex. g. illa, quæ est inter Petrum, & eius vbicationem, per quam est hic, dicitur modalis; Siuerò sit inter alias duas res, quarum neutra

neutra sit modus alterius, dicitur realis simpliciter, vt est illa, quæ intercedit inter animam, & corpus. Si sit inter extrema, quorum vnum contineatur vel secundùm totum, vel secundùm partem in alio, dicitur distinctio inadæquata, seu includentis ab incluso, vt est distinctio animæ ab homine, quia anima secundùm totum continetur in homine. Si neutrum contineat aliud, vt est distinctio Petri à Paulo, dicitur adæquata, seu contradistinctio.

Hoc posito, quia multi vel negant omninò modos, vel illos explicant diuersimodè, ad plenam notitiam distinctionis modalis, aliquod cursim de illis innuam. Primo igitur quæram quid sit modus, & per quid distinguatur à re? Secūdò andētur à parte rei modi? Tertio an posito quòd dentur, possit aliqua res creata existere absque illis?

Dico primò, omnem modum esse entitatem positiuam superadditam rei, cuius est modus, illi essentialiter affixam. Hæc conclusio continet tres partes, videlicet quòd modus sit entitas positiua, quòd sit superaddita, & quòd sit essentialiter affixa. Probatur prima pars,

pars, quia omnis modus præstat aliquē effectum formalem positiuum, vt patet inductione facta per vnionem, vbicationem, durationem, actionem &c. Sed effectus formalis positiuus præstari nō potest à causa formali negatiua, cum qua sit realiter idem, saltem inadæquatè, alioquin ens posset constitui à non ente. Ergo nullus modus potest esse negatiuus.

Dices, subsistentia est modus, & tamen est aliquid negatiuum. Ergo non omnis modus est positiuus. Nego antecedens. Quamuis enim subsistentia videatur modificare substantiam, quam reddit alteri incommunicabilem, à quo intrinsecè, & substātialiter perficiatur, re tamen ipsa nullo pacto est modus, vt infrà probabitur, sed est aliquod superadditum mere negatiuum.

Probatur secunda pars, quia modus dicitur à modificando, eo quòd modificet, idest determinet indifferentiam rei ad aliquem effectum formalem, vt patet in vbicatione, quæ determinat rē ad hoc vt sit præsens tali loco, & non alibi. Sed nulla res modificat se ipsam, alioquin idem esset indifferens, & de-

ter-

terminatũ: quod implicat. Ergo modus est aliquod superadditum rei modificatæ. Et hæc est ratio, quare nullus modus inueniatur in Deo, Primò quia Deus cùm sit ens necessarium, omnia præstat per se ipsum formaliter, adeoq; necessario est vbique, necessariò existit semper &c. Deinde, quia Deus nullam habet potentialitatem passiuam, per quam recipiat aliquod, à quo formaliter perficiatur, eo quòd in se contineat omnem perfectionem excogitabilem, saltem eminenter. Sed modus est in alio tamquam in subiecto vt mox probabo, illud perficiendo. Ergo non potest esse in Deo.

Probatur tertia pars, quia modus nullum alium habet finem, seu expetibilitatem in rerum natura, præter huiusmodi determinationem. Ergo cùm hęc haberi nō possit, nisi modus vniatur rei, quā modificat, debuit ita illi vniri, vt extra casum talis vnionis, existere non possit, & per consequens debuit illi essentialiter vniri. Probatur cōsequētia, quia vbi cessat finis intrinsecus cuiuscũque entis, ad quem est essentialiter institutum, cessat etiam essentialiter tale

ens,

ens, vt vidimus in libro primo logicæ disp. 1. ar. 2. Sed finis intrinsecus adæquatus cuiuscunque modi est ablatio indifferentiæ, vt patet inductione facta per omnes modos. Ergo extrà hunc casum cessat eius finis intrinsecus, adeoq; non est naturaliter possibilis.

Confirmatur, quia modus est entitas quædam minima, quæ producitur à re, cuius est modus, seu quam modificat, & subiectatur in illa. Ergo pēdet ab illa non solùm in fieri, sed etiam in conseruari, adeoque essētialiter. Exquo patet aliud discrimen modi à re, quia res, saltem per absolutam Dei potentiam potest per se existere diuisa ab omni alia; At modus non potest. Nam vnio e.g. A. cum B; cùm sit essentialiter ordinata ad præstandum talem effectum formalem, non potest existere, quin præstet talem effectum, adeoque quin existant A;& B Ergo his non existentibus, neq; Deus potest facere, quòd talis vnio existat.

Obijcies primò. Accidens reale est institutum essentialiter ad perficiēdam substantiam, cui inhæret, & tamen, saltem supernaturaliter, potest existere ab

ab illa separatum, vt patet in eucharistia. Ergo etiam modus poterit existere sine re, cuius est modus, quamuis sit essentialiter ordinatus ad illam determinandam.

Nego consequentiam. Disparitas est, quia modus, cùm sit natus factus ad tollendam indifferentiam extremorum, est per se ipsum formaliter vltimũ determinatiuum, in ordine ad talem effectum formalem. Ergo per se ipsum formaliter præstat talẽ effectũ formalẽ, e.g. vbicatio vbificat, unio vnit, actio agit &c. Non posset autem hoc præstare, nisi penderet essentialiter à tali subiecto, & nisi cum illo vniretur. Si enim per aliud vel penderet, vel vniretur, non esset vltimũ determinatiuum, vt patet, posito quòd huiusmodi effectus formalis extra subiectum sibi unitum præstari non possit. Ergo cũ nihil possit existere absque sua essentia, neq; modus extra tale subiectũ, à quo accipit esse, & cum quo vnitur essentialitet. At accidens reale, cùm non sit vltimum determinatiuum rei, determinatur & ipsum per aliud accidens. E.g. calor ad hoc vt lignum calefaciat, debet illi vniri per

vnion m

vnionem a se distinctam, nõ enim calor exigit essentialiter vniri cum ligno, in quo præstat effectum formalem calidi, cum perinde illi esset, si uniretur lapidi, in quo itidem præstaret effectum formalem calidi. Si ergo concipiamus calorem extrà lignum, non proinde concipimus illum, absque sua essentia, sed solũ absque subiecto extrinseco, à quo accidẽtaliter procedat, & cum quo per accidens uniatur. Et ideo non pendet ab illo essẽtialiter, neque in fieri, neque in conseruari, sed idem numero calor, qui pẽdet in fieri, uel conseruari à causa A; potuit pendere à causa B.

Instabis & difficilius. Si unio A. qua anima Petri unitur cum eius corpore uniret animam Pauli cum eius corpore, adhuc præstaret eumdem effectum formalem uniti, quamuis esset extra tale subiectum. Ergo non pendet essentialiter à tali numerò subiecto, sed potest ab illo separari. Probatur antecedens, quia sicut idem clauus, qui modo nectit tabulam A. cum tabula B. posset nectere tabulam C. cum tabula D; ita & eadem numerò unio potest unire modo hæc extrema, & modo illa.

Nego

Nego antecedens. Ratio est, quia cùm unio sit ultimum determinatiuum non solùm facit unitum, sed tale unitũ, quod haberi non posset extrà tale subiectum. Ad probationem antecedentis respondeo, clauum non esse intrinsecè, & essentialiter ordinatum ad uniendũ, sed solùm extrinsecè, & per accidens. Et ideo, quamuis nihil necteret, adhuc tamen haberet expetibilitatem ex alio capite, quatenùs uidelicet ferrum, ex quo cõstat adhuc cõstitueret peculiare genus entis, & induceret peculiarem pulchritudinem talis speciei in rerum natura, quia posset ferrum conflari in ensem &c. At unio, præscindendo ab hoc unico effectu uniẽdi, nullum alium posset præstare effectum formalem, neque constituere peculiare genus entis, ut patet. Ergo maxima est disparitas.

Dices demum. Datur aliquod accidens reale inseparabile, quod non sit modus, vt cæcitas, nasi curuitas &c. ergo per hoc quòd aliqua entitas sit alteri essentialiter affixa, & ab illo inseparabilis, non sequitur quòd sit modus. Nego antecedens, saltem si loquamur

de

de inseparabilitate etiam supernaturali. Ratio est, quia cæcitas non est accidens, sed priuatio; Et curuitas nasi in abstracto est modus, & in cõcreto aliud non est, quàm nasus tali modo affectus. Quod idem dico de quocumque alio, quod dicitur accidens inseparabile. Quando ergo Porphirius, & cum eo communiter Philosophi diuiserunt accidẽs in separabile, & inseparabile, nomine accidentis inseparabilis, intellexerunt accidens modale, & non reale.

Obijcies secundò. Vnio est modus, & tamen potest vniri per aliam vnionẽ, vt accidit in composito Christi Domini, in quo vnio animæ sanctissimæ cum eius corpore vnitur per aliã vnionem, quæ dicitur hypostatica, Verbo Diuino. Ergo modi non sunt essentialiter vltimum determinatiuum, sed possunt vlteriùs & ipsi determinari. Quòd si nõ sint vltimum rei determinatiuum, neq; essentialiter cum rebus uniuntur. Ergo possunt, saltem supernaturaliter, ab illis separari.

Distinguo antecedens. Potest unio uniri per aliã unionem cum extremis, quæ unit, nego; potest uniri cum alijs

aduenientibus de nouo, extremis ut unitis, concedo antecedens. Et distinguo consequens; modi non sunt ultimum determinatiuum respectu eorum extremorum, quorum sunt modi, nego; respectu aliorum illis aduenientium, iā completè existentibus in suo esse, transeat consequentia. Prò intelligentia, notandum est, unionem hypostaticam in Christo Domino recipi in humanitate, & terminari ad Verbum diuinum, seu ad Personam Verbi diuini. Cum ergo humanitas dicat in concreto hominem, & homo sit complexū ex anima rationali, & corpore unitis; Ideo unio hypostatica non potuit nectere humanitatem, quin necteret etiam eius unionem. Hæc autem unio prior non nectitur per hypostaticam posteriorē cum anima, uel cum corpore, respectu quorum habet rationem unionis, seu modi unitiui, sed cum Persona diuina adueniente utrique iam completè existenti in suo esse. Ergo nō ulteriùs modificatur in suo effectu formali, sed solùm in ordine ad alium, præstitum formaliter, nō ab ipsa, sed ab hypostatica, respectu cuius ipsa se habet materialiter,

ter, & *vt quod*, non autem formaliter, & *vt quo*. Ad hoc autem ut hoc meliùs intelligatur, dò exemplum in uestito. Si enim michael satelles liget funibus Caiũ sericis uestitum, nõ solùm ligabit corpus Caij, eiusque uestes, sed præterea unionem illam accidentalem, qua uestes adiacēt Caio. Pari ratione Verbum diuinum uniendo secum animam Christi, ut informantem eius corpus, unit etiã secum talem informationem, seu unionem. Sicut ergo unio illa uestiũ non habet formaliter rationem unionis in Caio, respectu secundæ unionis, uel ligationis factæ per michaelem; Ita neque illa habet rationem unionis in Christo, qua corpus unitur animæ, in ordine ad aliam unionem, qua totus homo unitur Diuino Supposito, sed consideratur materialiter, & *vt quod*, præstans tantùm eundem numero effectum formalem, quem prius præstabat, & nullum alium.

Dico secundò dari modos, seu entitates modales, iuxta sensum hùc usque explicatum. Probatur ex dictis, quia dantur ubicatio, duratio, vnio &c. Sed hi sunt modi, iuxta sensum explicatũ.

 Ergo

Ergo dantur hi modi. Maior probatur, quia quoties extrema sunt indifferētia ad præstandum, uel non præstandum aliquem effectum formalem, toties debet dari aliquod positiuum superadditum illa determinans ad talem effectū. Ergo cùm dentur huiusmodi extrema indifferētia, nam A. & B. possunt modò uniri, & modò non uniri: Possunt existere in tali loco, & tempore, uel non existere, &c. debet dari tertia aliqua entitas, uidelicet ubicatio, duratio, &c. quæ tollat eorum indifferentiam. Quòd autem hæc tertia entitas sit modus, Probatur (& erit probatio minoris) quia de illa uerificantur omnia prædicata essentialia modi, quæ supra retulimus, ut probabimus in Physicis, ubi fusè agemus de ubicatione, & duratione; & in libris de generatione, & corruptione, ubi agemus de unione, & actione. Ergo dantur modi.

Dico tertiò nullum posse dari ens creatum, quod careat omni planè modo. Probatur, quia quidquid existit, coexistit immensitati Dei, eiusque æternitati. Quia cū Deus compleat omne spatium, & tempus etiam imaginabile,

bile, ubicunque constituatur ens creatum, & quocunque tempore, semper ibi præsentem inueniet Deum. Sed coexistentia cum immensitate est ubicatio, & coexistentia cum Æternitate est duratio. Ergo quodcunque ens creatū habebit saltē ubicationem, & durationē, quæ sunt modi, ut nuper probauimus.

Neque obstat, quòd nulla creatura sit indifferens ad hoc ut coexistat, uel non coexistat his attributis Dei, quibus omnia necessariò coexistunt. Quamuis enim ex isto capite non indigeant modis, illis tamē indigēt ex alio capite, ad hoc uidelicet, ut Deo coexistant tali tēpore, & tali loco, in ordine ad quod habent indifferētiam tollendā per modos superadditos. Verùm de his suo loco.

ARTICVLVS SECVNDVS

Quid, & quotuplex sit distinctio Rationis? Vbi de distinctione rationis ratiocinantis, & ratiocinatæ, virtuali intrinseca, & extrinseca.

Distinctio rationis in genere, est omnis illa distinctio, quę habetur vel formaliter à ratione, idest ab ali-

quo conceptu formali, vel in ordine ad rationem, vt diximus de identitate. Quare non tollit realem identitatem; Petrus enim distinguitur ab homine distinctione rationis, quamuis sit cum illo realiter identificatus. Hæc autem alia dicitur rationis ratiocinantis, & alia rationis ratiocinatæ.

Distinctio rationis ratiocinatæ dicitur esse illa, quæ est cum fundamento in re, eo quòd non sit opus meræ rationis. Et distinctio rationis ratiocinantis dicitur esse sine fundaméto in re, quia est opus merè rationis, & non fundatur in ipso obiecto exigente ita concipi, sicut prima. Verùm quia obiecta sunt indifferentia ad hoc vt concipiantur hoc, vel illo conceptu, neque potius exigunt vnum conceptum, quàm alium; Ideo aliunde desumendum puto harum distinctionum formale discrimen.

Dico igitur, hæc duo distinctionum genera inter sese differre per hoc, quòd distinctio rationis ratiocinantis habeatur per geminationem, seu repetitionē eiusdem conceptus, vel in ratione subiecti, & prædicati in propositionibus identicis, vt cum dicitur *Petrus est Petrus*,

trus, vel in ratione fundamenti, & termini in eadem relatione, vt cū dicitur *Petrus est identificatus cum Petro*. Distinctio verò rationis ratiocinatæ habetur formaliter per duos conceptus tendentes diuerso modo in idem obiectum, vt *homo*, & *animal*. Quare Prima habetur formaliter in ordine ad conceptus formales solo numero differentes, qui ita se habeant, vt cuicūque obiecto applicatur vnus, sit etiam applicabilis alter; Distinctio verò rationis ratiocinatæ habetur in ordine ad conceptus formales specie differentes, ita vt possit eorum aliquis applicari obiecto, quin applicetur & alter, vt sunt conceptus generis, & speciei, speciei, & indiuidui. Nam ita differunt *homo* & *animal*, vt possim *leoni* applicare *animal*, quin applicē *hominē*; nō tamen possū de aliquo applicare *hominē*, quin etiā possim de eodem applicare *animal rationale*, quæ distinguuntur distinctione rationis ratiocinantis, videlicet distinctione facta per ipsam intelligentiam, intelligentem formaliter in actu secundo, reduplicando ipsam intellectionem.

Diuiditur secūdò distinctio rationis

in virtualem extrinsecam, & virtualem intrinsecam. Distinctio virtualis extrinseca habetur per denominationem à prædicatis extrinsecis, à quibus denominatur, ab ijs videlicet, quæ non sunt identificata cum obiecto; Atque adeo dicitur distinctio secundùm genus, seu generis a genere, non autem indiuidui ab indiuiduo. E. g. Attributum Iustitiæ in Deo distinguitur virtualiter extrinsecè ab attributo misericordiæ, quia quamuis sint realiter idem, tamen cõceptus illius includit aliquid, quod nullo modo includitur in conceptu misericordiæ. Siquidem cõceptus genericus Iustitię includit etiam Iustitiam humanam, quæ nullo modo est misericordia. Propter ergo distinctionem Iustitiæ humanę à misericordia, quę est aliquod extrinsecum Iustitię diuinę, dicitur etiã illa distingui virtualiter extrinsecè à diuina misericordia. Cæterùm diuina Iustitia vt diuina, non distinguitur à diuina misericordia vt diuina, quia hæc Iustitia ita punit, vt eadem formaliter misereatur, & hæc misericordia ita misereтur, vt eadem formaliter puniat, propter mutuam vtriusque identitatẽ.

Hæc

Hæc ergo distinctio, quia propriè loquendo non datur, nisi inter perfectiones absolutas Dei, quæ ita sunt idē inter se in Deo, vt in creatis identificari non possint; Ideo dicitur virtualis, Primò quia æquiualet distinctioni, cùm sit apta fundare diuersas prædicationes genericas. Secundò quia perfectiones, inter quas datur, identificantur cum Omnipotentia Dei, idest cum virtute producendi plures creaturas distinctas realiter, in quarū singulis singulæ illæ perfectiones reperiantur. Sed quia hoc est illis extrinsecum, ideo dicitur distinctio virtualis extrinseca.

Distinctio virtualis intrinseca consistit formaliter in discrepantia in quocunque prædicato intrinseco, siue perfectiuo, siue non perfectiuo, vt est illa quæ datur inter Paternitatem, & essentiam diuinam; Quia quamuis hæ sint idem realiter, tamen potest affirmari de Patre distinctio realis à filio, quæ de essentia affirmari non potest. Sicut ergo identitas virtualis intrinseca est identitas omnibus modis, eo quòd dicat consensum in omnibus prædicatis intrinsecis tam perfectiuis, quàm non perfecti-

nis; Ita & distinctio virtualis intrinseca illi opposita habetur formaliter per omnem quemcumque dissensum in quolibet prędicato intrinseco, siue perfectiuo, siue non perfectiuo. Hęc autem distinctio ita reperitur in Deo, vt in creatis, probabiliter saltem, de facto admitti non possit. Rationem autem huius rei solidissimam attulimus in logicis lib. 2. disp. 3. ar. 3. cum ageremus de præcisione obiectiua, quam ex multiplici capite ibi admisimus in diuinis, & omninò exclusimus à creatis, quæ super se aliqua pauca superaddam articulo sequenti.

Dices: Pater non includit perfectionem filiationis, quam includit essentia. Ergo discrepat ab illa in prædicatis perfectiuis, & per consequens distinguitur ab illa realiter.

Primò Distinguo primam partem antecedētis. Pater vt Pater in abstracto, vt virtualiter intrinsecè præcisus ab essentia, non includit perfectionem filiationis, concedo: Pater in concreto, vt formaliter inuoluens ipsam essentiam, non includit perfectionem filiationis, nego antecedens. Et distinguo consequens.

quens. Ergo Pater in abstracto, vt virtualiter intrinsecè præcisus ab essentia, discrepat ab essentia, concedo. Pater in concreto, discrepat ab essentia, nego consequentiam.

Secundò distinguo secundam partẽ antecedentis. Essentia vt virtualiter intrinsecè præcisa à filiatione, includit perfectionem filiationis, nego. Vt realiter identificata cum filiatione, ipsius perfectionem includit, concedo antecedens. Et distinguo consequens, essentia vt virtualiter intrinsecè præcisa à filiatione & Amore, discrepat à Paternitate, nego: vt realiter idẽtificata cum filiatione & Amore, concedo consequẽtiam. Prò cuius intelligentia, quia est argumentum omninò molestissimum, supponendum est ex theologia, Patrem Æternum (quod idem dico de cæteris) dicere non solùm Personalitatem Paternitatis, sed etiam ipsam essentiam, seu naturam diuinam, cum qua facit compositũ quoddam virtuale, à theologis appellatum suppositum reale, quod dicitur *Pater*, distinctum realiter ab alio composito virtuali, seu reali supposito, constante ex eadem essentia,

& alia Personalitate filiationis, quod dicitur filius. Pater ergo potest accipi modò prò sola Personalitate, & dicitur accipi in abstracto, modò prò Personalitate, & essentia, & dicitur accipi in concreto. Cùm ergo essentia sit communis tam Paternitati, quàm filiationi, hinc est, quòd si Paternitas accipiatur in concreto, dicit etiam filiationem, nõ quidem ratione Paternitatis formaliter, quæ semper à filiatione distinguitur, sed ratione essentiæ vtrique communis.

Prætereà quia essentia distinguitur virtualiter intrinsecè à Personalitatibus; Ideo potest accipi modò vt virtualiter intrinsecè distincta à filiatione, & modò vt virtualiter intrinsecè distincta à Paternitate. Quando autẽ accipitur vt talis, sub ista reduplicatione formaliter, neutram dicit ex istis Personalitatibus. Quamuis ergo sit omnibus cõmunis, potest tamen sub vna ex istis reduplicationibus formaliter concipi vt discrepans vni Personalitati, ratione distinctionis virtualis intrinsecæ, & vt quodammodò ad aliam contracta, ratione videlicet realis identitatis cum

illa

illa, quæ sola appareat sub ista formalitate. Et ideo nullum est absurdum dicere, quòd Pater in abstracto, non dicat filiationem, quam dicit, saltem identicè in concreto, quia videlicet in concreto dicit essentiam realiter cum filiatione identificatam. Neque est absurdum dicere quòd essentia diuina Patris, vt virtualiter intrinsecè præcisa à filiatione, non dicat filiationem, quia sub ista formalitate concipitur vt Pater, & non vt filius. Verùm de hoc fusiùs in articulo sequenti.

Diuiditur tertiò distinctio rationis in genere, in distinctionem metaphysicam, & obiectiuam, quarum prima dicitur præcisio formalis, & secunda dicitur præcisio obiectiua, eo quòd per hanc ex pluribus realiter identificatis, ita vnum cognoscatur, vt aliud non cognoscatur. An autem detur hæc secũda distinctio, fusè egimus in logicis. Hìc ergo solùm, ad eadem & modò dicta, potiùs explicanda, & confirmanda, appendicem addam, solùtione nonnullorũ argumentorum, quæ ibi de industria prætermisimus ad hunc locum.

ARTI-

ARTICVLVS TERTIVS

Diluuntur nonnulla argumenta contra ea, quæ dicta sunt in logicis, de Præcisione obiectiua, supposito quòd illa admittatur in diuinis, & negetur in creatis.

STatuimus in logicis lib. 2. disp. 3. ar 3. posse in Deo admitti tam præcisionem obiectiuam, quàm distinctionē virtualem intrinsecam, absque eo quòd vtraque de facto admittatur in creatis. Rationem autem disparitatis diximus esse, quia cū præcisio obiectiua fundetur in distinctione virtuali intrinseca, & hæc in identitate reali, admittente simul distinctionem aliquam physicam earum formalitatum, quibuscum illæ identificantur realiter, quæ dicuntur obiectiuè pręscindi, eo ipso quòd nullas inueniamus formalitates creatas de facto existentes, quæ cum identitate reali, ante omnem operationem intellectiuam, aliquam in se admittant vel realem, vel ex natura rei obiectiuam prædicatorum pluralitatem, sicut in-

uenimus

uenimus inter formalitates diuinas, cõclusimus, inter illas non posse dari obiectiuam præcisionem, quam inter postremas admisimus vt necessariam. Possunt recenseri, quæ ibi diximus, ad omnia, & singula singulis conclusionibus appositè statuenda. Argumenta verò, quæ possunt addi allatis contra hanc doctrinam, eiusque fundamenta, sunt hæc.

Primum est. Præscinditur obiectiuè diuina essentia à paternitate; sed inter diuinam essentiam, & paternitatem neque datur vlla distinctio realis, neque vlla realis pluralitas obiectiuarum formalitatum. Ergo neutra est necessaria ad obiectiuam præcisionem.

Priusquam respondeam, vnum præmitto, videlicet diuinam essentiam esse quidem ratione sui formaliter in se perfectissimam, & sufficientissimam, tamen subsistere in triplici supposito, quæ dicuntur etiam subsistentiæ, seu Personæ, cum illa ita realiter identificatæ, vt inter sese realiter distinguãtur. Quare quinque possumus in Deo considerare obiectiuas formaliates, in ordine ad quas, admittenda est cum di-

stin-

ſtinctione virtuali intrinſeca, præciſio obiectiua, ſcilicet eſſentiam, Paternitatem, filiationem, Spirationem actiuam communem Patri, & filio, & Spirationē paſſiuam, ſeu Proceſſionem (ut illam nominat D. Thomas) propriam ſolius Spiritus Sancti. Eſſentia igitur vt omnibus communis, poteſt metaphyſicè loquendo, ratione noſtrâ ratiocinante, modò conſiderari vt ſubſiſtens in ſolo Patre: modò vt ſubſiſtens in ſolo filio: modò vt ſubſiſtens in ſolo diuino amore ſeu Spiritu Sancto: modò vt ſubſiſtēs in omnibus ſimul; & modò vt præciſa ab omnibus ſimul. Si ergo conſideretur ut ſubſiſtens in ſolo Patre, quia nihil aliud dicit, quàm ſe, & Paternitatē, quæ ſunt realiter unū, propter realē vtriuſq; identitatem, nullam dicit pluralitatem. Quia uerò eſſentia ita eſt idem cum Paternitate, ut ſit etiam idem cum filiatione, quæ realiter à Paternitate diſtinguitur, ideo ut formaliter ſubſiſtēs etiam in filio, diſtinguitur à Paternitate, non quidem ratione ſui formaliter, ſed ratione filiationis, cum qua ipſa eſſentia eſt idē, & à qua diſtinguitur Pater. Hoc poſito, ut in forma reſpondeā

ad

ad argumentum, distinguo maiorem.

Præscinditur obiectiuè diuina essentia à Paternitate, vt formaliter subsistẽs in solo Pater, & ad illam quodammodò coarctata per nostrum modum concipiendi, nego maiorem; Si vero consideretur vt essentia, videlicet vt aliquid communicabile etiam filiationi, & Amori, immo vt de facto communicatũ, nego maiorem: Et distinguo minorem, diuina essentia vt formaliter subsistens in solo Patre, nullam admittit multiplicitatem prædicatorum, concedo: vt formaliter subsistens tam in Patre, quã in filio, nego minorem, & cum illa consequentiam. Quando ergo præscinditur obiectiuè diuina essentia à Paternitate, ideo fit, quia tunc essentia diuina consideratur vt identificata cum filiatione, & Processione, à quibus Pater distinguitur. Nam si per impossibile essentia diuina in sola Paternitate subsisteret, non posset à Patre obiectiuè præscindi. Ergo semper est verum, quòd tota capacitas diuinæ essentiæ ad præcisioné obiectiuam, est distinctio virtualis intrinseca, quæ numquam datur, absque aliqua physica predicatorũ pluralitate.

Dices,

Dices,ergo eadem essentia esset idẽtificata cum Patre, & ab illo distincta, Negò consequentiam. Quamuis enim ratione suppositorum detur distinctio ex natura rei inter Patrem,& filium,illa tamen non facit,quòd essentia Patris distinguatur ab essentia filij,quę in vtroque est semper eadẽ,si præcisè consideretur vt essentia,ratione sui formaliter. Hæc enim est ineffabilitas huius altissimi mysterij,quod superat omnem captum humanæ mentis, quòd videlicèt diuinæ Personalitates sint identificatæ cũ eadem natura,seu essentia,& tamen nõ sint inter se identificatę,quod quamuis videatur derogare illi principio, *Quæ sunt eadem vni tertio,sunt eadem inter se*,tamen supra art. 2. probauimus non derogare.

Secundum argumentum est, Potest voluntas præscindere obiectiuè formalitates creatas de factò existentes, nam potest e g. amare medicinam vt bonã, non autem vt amaram.Ergo etiam intellectus.

Nego antecedens,cuius probationẽ distinguo. Potest voluntas amare medicinam vt bonam,idest vt repræsentatam

tam sub conceptu amaritudinis, concedo. Potest amare id, quod est realiter in se, & ex parte obiecti medicinę bonitas, quin etiam amet id, quod est realiter in se eiusdem medicinæ amaritudo, nego antecedens, & cum illo consequentiã. Tota ergo medicina, seu totum obiectũ amatur, quatenus subſtat primæ cognitioni, & quatenus subſtat secundæ, totũ non amatur. Quare tota diuersitas, quæ inuoluitur in huiusmodi actuum explicatione, vel prouenit ex conceptibus, sub quibus medicina repræsentatur, vel ex obliquis, quibuscum connectitur. Numquam igitur fit præcisio obiectiua, quia numquam cognoscitur vna obiecti formalitas secundùm rectum, quin etiam cum illa cognoscantur omnes aliæ, cum illa realiter identificatæ.

Tertium argumentum. Possunt in Deo obiectiuè præscindi perfectiones absolutæ, in quibus nulla ineſt virtualis distinctio. Ergo etiã possunt obiectiuè præscindi formalitates creatæ. Consequentia patet, quia in his cessat ratio allatæ disparitatis. Probatur antecedẽs, quia Deus potest cognosci vt omnipotens, non autem vt sapiens. Ergo potest

cognosci

cognosci eius omnipotentia, non cognita sapientia, quæ sunt perfectiones absolutæ.

Nego antecedens, cuius probationẽ distinguo vt supra, videlicèt posse quidem cognosci Deum sub vno cõceptu, & non sub alio, nõ tamen posse cognosci vllam illius perfectionem absolutã secundùm rectum, quin cognoscantur & aliæ. Et deinde nego consequentiam. Et hic modus respondendi valet etiam prò solutione omnium aliorum argumentorum similium, quæ fieri possẽt in hac materia. Vt cũ ex uisione coloris à lõge, potest reddi ratio de colore in genere, non autẽ de albedine in specie, nigredine, &c. Cũ auditur aliquis loquens remotè, cognoscitur c arè ratio soni ut sic, non autem talis soni in specie; Et sic de reliquis. Nam semper in his, & similibus casibus totũ obiectũ, idest tota entitas illius, de quo est quæstio, cognoscitur, quamuis obscurè, seu abractiuè, &non sub conceptu proprio.

Dices. Ergo nõ potest cognosci Deus ut unus, nisi cognoscatur ut trinus. Probo consequentiam, quia ex dictis non potest cognosci ulla eius perfectio abso-

absoluta, qui cognoscatur totus Deus, adeoque omnes, & singulæ eius perfectiones, etiam relatiuę. Hoc autẽ apertè negatur à D.Tho.p.p.q.32.ar.1.his uerbis *Impossibile, est per rationem naturalem ad Trinitatis diuinarum Personarum cognitionem peruenire.* Et ideo Aristoteles, alijque Æthnici philosophi, quamuis agnouerint Deum unum, non tamen illum ut trinum agnouere. Ergo uerum non est, quòd quotiescunque cognoscitur aliqua formalitas obiectiua, tota illius entitas cognoscatur, adeoque cognoscantur & cæteræ.

Nego consequẽtiã. Primò quia nuper locuti sumus de perfectionibus absolutis, non autem de relatiuis. Quòd si vrgeas, Per cognitionem cuiuslibet perfectionis absolutæ cognoscitur totus Deus. Ergo etiam cognoscuntur perfectiones relatiuæ, cum Deo realiter idẽtificatæ. Si, inquam, taliter urgeas respondeo negando consequentiam, assignando euidentem disparitatem, quæ est hæc. Perfectiones absolutæ non distinguuntur ab essentia, adeoque à deitate distinctione uirtuali intrinseca, sicut distinguuntur perfectiones relatiuæ.

tiuæ. Ergo illæ non possunt obiectiuè præscindi, sicut hæ, adeoque qualibet earum cognita, omnes necessariò cognoscuntur; neque potest vllo modo cognosci essentia diuina vt talis, quin simul cum illa omnes cognoscantur, eo quòd omnes inuoluantur formaliter in conceptu essentiæ. At perfectiones relatiuæ, neque inuoluuntur formaliter in conceptu essentiæ, quæ potest adæquatè concipi vt Deitas, absque vlla perfectione relatiua; neque cum illa omninò identificantur, eò quòd cum identitate reali admittant ab illa distinctionem virtualem intrinsecã. Ergo in eius conceptu nõ necessariò inuoluũtur, adeoque possunt, illa cognita, non cognosci per præcisionem obiectuam. An verò vna ex illis perfectionibus relatiuis necessariò inuoluatur in conceptu alterius, est alia quæstio à Theologis disputanda.

Nego secundò eamdem consequentiam, tamquam ad rem minimè facientem. Ratio est, quia ly *vt trinus* dicit reduplicationem intellectus, factam per conceptum proprium, & clarum Trinitatis, qui meritò à D.Thoma fuit habitus

tus impossibilis, solo ductu naturalis philosophiæ. Hoc autem nos non asserimus, neque asserere tenemur ad tuendum positum. Nam per hoc, quòd cognitio Omnipotentiæ, seu vnitatis Dei terminetur ad totum Deum materialiter sumptum, idest ad omnes, & singulas formalitates obiectiuas, quæ sunt realiter identificatæ cum diuina essentia, non sequitur, illas cognosci sub proprijs conceptibus, & clarè, sed solùm obscurè, & abstractiuè. Cognitio verò cōfusa, & abstractiua perinde se habet, in ordine ad discursum, & certificationem obiecti, ac si illud nullatenùs cognosceretur. Per hoc enim quòd Petrus abstractiuè cognoscat e. g. Paulum sub conceptu entis, quid proinde cognoscit de ipso Paulo? Potestne proinde affirmare quòd sit corpus, uiuens, animal, homo, filius Ioannis, &c.? Nihil planè. Ergo bene potest concedi, fuisse hoc modo ab Antiquis etiam cognitam Trinitatem, uidelicet sub conceptu Deitatis, seu primæ causæ.

Quando ergo Angelicus Doctor, in loco citato, asseruit, esse impossibile per rationem naturalem peruenire ad cognitionem

gnitionem

gnitionem Trinitatis, locutus est solùm de cognitione clara, & explicita, repræsentante Deum sub proprijs terminis Trinitatis, non autem de cognitione implicita, & abstractiua, repræsentante Trinitatem sub conceptu diuinæ unitatis, seu omnipotentię omnibus notissimo. Quòd autem ita debeat explicari D.Thomas, euidenter patet ex ijs, quæ ipse alibi apertissimè dixit, & præcipuè in secunda secundæ q.2.ar. 8., ubi examinans, an sit necessaria fides explicita Trinitatis? hæc habet in corpore. *Et ideo eodem modo, quo mysterium incarnationis Christi, ante Christum fuit explicitè creditum à maioribus* (intelligendo nomine maiorum eos, quibus fuit sufficiēter incarnatio reuelata, uel per scripturas, uel per reuelationem peculiarem, ut dixit art. antecedenti) *implicitè autē, & quasi obumbratè à minoribus*, idest quibus non fuit hoc reuelatum, *ita etiā & mysterium Trinitatis*. Vnde hæc fides obumbrata, & implicita, nisi ex defectu cognitionis explicitæ Trinitatis, tātùm implicitè cognitæ, ante aduentum Redemptoris? Hoc idē asserit in articulo 7. immediatè antecedēti, in respōsione

ad

ad tertium, vbi quærens, an aliquis ex Gentilibus saluatus fuerit per fidem Christi, ante aduentum ipsius, ait, illos habuisse de Christo fidem implicitam, adeoque cognitionem implicitam, his verbis, *Etsi non habuerunt fidem explicitam, habuerunt tamen fidem implicitam in diuina prouidentia, credentes, Deum esse liberatorem hominum secundùm modos sibi placitos.* Sed fides Christi non potest esse sine fide Trinitatis, quia Christus dicit Verbum humanatum. Ergo si potuit haberi à Gẽtilibus fides implicita, & cognitio obscura de Christo, potuit hoc idem accidere de fide, & cognitione implicita Trinitatis. Sed cognitio diuinæ prouidentiæ solo ductu naturalis philosophiæ potuit haberi, vt multi philosophi de illa egregiè scripserunt, quamuis essent Æthnici, vt videre est in eorum scriptis. Ergò etiam potuit puro rationis lumine haberi cognitio implicita, & abstractiua illius, quod est in se realiter Trinitas, non vt Trinitas est, sed sub alio conceptu, videlicèt vt Deus est, vt omnipotens, vt vnicus &c.

ARTICVLVS QVARTVS

Quid sit Distinctio ex natura rei, quæ vulgo dicitur Scotistica? Et an sit admittenda?

SCotus in primo sententiarum distinctione 8. quęst. 4. ait, dari quoddam genus distinctionis, quod neque sit distinctio rationis, neq; realis, sed sit aliquod tertium distinctionis genus medium inter vtrumque, quam distinctionem vocat formalem, seu ex natura rei, cuius proprium ait esse, quòd sit minor distinctione reali, & maior distinctione rationis. Hæc autem Auctoris subtilissimi philosophia mihi non probatur. Ratio est, quia quælibet distinctio vel est in rebus materialiter, & specificatiuè sumptis, ita vt possit vna negari in recto de alia, vel non? Si primũ, illa est distinctio realis. Si secundum, est rationis. Ergo nulla datur media inter has, quæ ad neutram reducatur.

Prætereà quęlibet distinctio vel habetur per discrepantiã in perfectionibus, vel per discrepantiam in alijs prædica-

tis

tis non perfectiuis? Si concedatur primum, illa est realis, Si secundum, est rationis. Ergo cùm omne prædicatum sit vel perfectiuum, vel non perfectiuum, omnis distinctio erit vel realis, vel rationis, & nulla datur media.

Contra hanc doctrinam, vt suam tueatur, duo obijcit Scotus argumenta subtilissima, illius digna ingenio, quæ facilè, iuxta isthæc principia, solui possũt, ab alijs habita insolubilia. Primum est huiusmodi in *Camestres*. *Essentia à parte rei in Deo est paternitas. Filiatio à parte rei non est paternitas. Ergo filiatio à parte rei non est essentia, & per consequens ab illa distinguitur. Non realiter, quia alioquin filius non esset Deus; neque solùm ratione, quia datur hæc distinctio à parte rei, antecedenter ad omnem nostram operationem intellectiuam. Ergo distinctione aliqua media, videlicet formali, seu ex natura rei.*

Alterum argumentum est hoc. *Nullo cogitante intellectu creato, dantur in Deo intellectus, & voluntas formaliter; Nam verè, & realiter filius producitur per intellectum, & Spiritus Sanctus per voluntatem. Sed voluntas non distinguitur rea-*

liter ab intellectu diuino, vt patet; neque solùm ratione, alioquin à parte rei esset idē principium filii, & Spiritus Sancti, & posset dici, vtrumque produci per intellectū, & per voluntatem. Ergo distinguuntur formaliter, idest distinctione aliqua media.

P. Antonius Perez, vt ostendat mysterium Trinitatis nullo modo euertere doctrinam Aristotelicam, nouam conatur inuehere solutionem primo argumēto, immo illud facit vndequaque solubile. Suppositis ergo multis, & ingeniosis, ita contra Scotum Philosophatur. Quando dicitur uel *filiatio non est paternitas*, uel *essentia est filiatio*, tàm filiatio, quàm paternitas diuersimodè accipiuntur, adeoque non semper supponūt eodem modo. Nam cùm filiatio dicat, ut nuper uidimus, tàm naturam diuinam, quàm personalitatem (quod idem dicito de paternitate) potest modò accipi prò aliquo quod est filiatio, uidelicet prò Personalitate, & modò prò omni, uidelicet prò natura, & personalitate. Sicut ergo ex particularibus non ualet consequentia ad uniuersalia; Ita ex aliquo, quod est filiatio, non ualet ad omne, quod est filiatio.

Quare

Quare vt in forma respondeat, concessa maiori, distinguit minorem: Aliquid quod est filiatio, non est aliquid, quod est paternitas, concedit; omne id quod est filiatio, non est aliquid, quod est paternitas, negat minorem. Et distinguit eodem modo consequens: Ergo filiatio non est aliquid, quod est essentia (videlicet Paternitas) concedit: Ergo filiatio nihil est ex ijs, quæ sunt essentia, negat consequentiam.

Ratio quæ illum mouet, ad negandã hanc consequentiam, sub ista parte distinctionis, est hæc, quia (vt ipse ait) illa consequentia, *filiatio non est essentia* vel supponit prò aliquo, quod est filiatio, & prò aliquo quod est essentia, & nihil probat, quamuis concedatur vt vera, quia ex affirmatione vnius, non potest aliud absolutè negari; Vel supponit prò omni, quod est filiatio, & prò omni, quod est essentia, & est falsa, quippe quæ facit transitum ex particularibus ad vniuersalia; nam in minori ly *filiatio*, supponebat prò *aliquo* illius, & in conclusione supponit prò *omni*. Quare cùm hoc argumentum inferat ex minima, & aliquali distinctione alicuius ab ali-

quo, distinctionem omnimodam, & maximam cuiuslibet à quolibet, seu omnium ab omnibus, ait esse vndequaque peccaminosum, & solubile.

Sed hæc responsio non videtur sufficiens, quia numquam euertit argumenti difficultatem, sed illā semper linquit insolutam, quamuis illā verbis eludat. Argumenti siquidem difficultas consistit in hoc, quòd qualibet admissa distinctione, inter aliquod quod est filiatio, & omne quod est filiatio, semper videatur impossibile, aliquid quod est filiatio, & aliquid quod est Paternitas, ita identificari realiter cum eodem tertio, videlicet cum aliquo quod est essentia, quin tamē identificentur inter se. Quidquid enim dicatur, alterutrum semper probat argumentum Scoti, videlicet, vel illud principium Aristotelicum falli, *quæ sunt eadem vni tertio sunt eadem inter se*, Vel ex distinctione, quam retinent inter se Paternitas, & filiatio, inferri distinctionem vtriusq; cum illo tertio, videlicet cū essentia, quam, quia non potest esse realis, neque purè rationis, ait Scotus esse formalem, mediā inter vtramque, & habet intentum.

Alij

Alij respondent cum distinctione maioris. Essentia à parte rei est Paternitas realiter, concedunt; virtualiter intrinsecè, negant maiorem. Et concessa minori, distinguunt consequens. Ergo filiatio à parte rei non est essentia realiter, negant: non est essentia virtualiter intrinsecè, concedunt consequentiam.

Sed hęc responsio potiùs confirmat, quàm soluat argumentum Scoti, quamuis communiter adhibeatur ab omnibus, & censeatur solidissima. Ratio est euidens, quia admissa hac responsione; Iam ergo conceditur in maiori, essentiam à parte rei esse paternitatem realiter, & conceditur in minori, filiationē non esse realiter paternitatem. Quare potest ex concessis formari validius argumentum prò Scoto *essentia à parte rei est realiter paternitas: filiatio à parte rei non est realiter paternitas. Ergo filiatio à parte rei non est realiter essentia*, quæ infert contradictorium illius membri conclusionis, quod fuit concessum in primo syllogismo. Atque adeo cùm sit euidens conclusio in *Camestres*, redigit ad impossibile adhibentem talem responsionem. Nam ex vna parte in pri-

mo syllogismo concedit, filiationem esse realiter essentiam,& ex alia tenetur hoc idem in secundo negare.

Relicta igitur vtraque hac responsione,ad argumentum Scoti respodeo, negando maiorem vt falsam,quam Perez vt veram concedit, & alij vt ancipitem distinguunt. Quòd autem illa sit falsa,probatur prout in rebus obscuris, quantùm ego cogito,solidissimè, iuxtà regulas summulisticas.Hæc propositio *Essentia à parte rei est paternitas*,vel accipit ly *essentia* communiter in tota sua latitudine,prò omni eo quod importat, vel solùm prò aliquo? Si primum,non potest habere rationem subiecti respectu paternitatis, quæ est medium talis syllogismi;non enim vniuersale subijcitur singulari.

Præterea quia in secunda figura medium vel debet esse consequens ad subiectum, & repugnans prædicato conclusionis,vt contingit in *Cæsare*,& *Festino*; vel debet esse consequens ad prædicatum, & repugnans subiecto conclusionis, vt contingit in *Camestres*, & *Barocco*, eò quòd semper conclusio sit negatiua; cum *paternitas* neque sit consequens

sequens ad prædicatum, neque ad subiectum huius conclusionis, *ergo filiatio à parte rei non est essentia*, quamuis sit subiecto repugnans, non bene distribuitur in præmissis, adeoque est falsa conclusio.

Dices; hæc regula non valet prò syllogismo expositorio, qualis est hic. Sed contra; nam si ly *essentia* accipitur vniuersaliter, siue communiter, hic non est syllogismus expositorius, eò quòd habeat maiorem vniuersalem, quæ æquiualet huic *omne illud quod est essentia, est paternitas*. Quòd si negetur hoc obstare syllogismo expositorio, redimus in absurdum mox inculcatum, videlicet subiectum vniuersale componi cum prædicato singulari, in iudicio affirmatiuo; adeoque numquam potest vt vera sustineri illa maior propositio, quin secum trahat ingens absurdum.

Instabis. Essentia est simplicissima. Ergo non potest habere rationem termini cõmunis, seu vniuersalis respectu Personalitatum. Distinguo consequẽs, non potest habere rationem termini communis, seu vniuersalis logicè, concedo: metaphysicè, nego consequẽtiã.

In tantùm .n. eſſentia diuina dicitur nõ eſſe vniuerſalis logicè, inquantùm non eſt in pluribus cum ſui multiplicatione, quod eſt neceſſarium ad vniuerſale logicum. Cæterùm quis vnquã negabit, illam eſſe de pluribus prædicabilem, cùm de facto ſit in pluribus, quod ſufficit ad vniuerſale metaphyſicum?

Quòd ſi concedatur altera pars, videlicet eſſentiam in illa maiori accipi non communiter, ſed ſolùm prò aliquo ex ijs quæ importat, ad hoc igitur vt ſit bona concluſio, debet etiam in illa accipi hoc modo ſingulariter. Quod ſi dicatur, nihil habetur pro Scoto. Quid enim infert contra nos dicere, aliquid quod eſt eſſentia à parte rei, eſſe paternitatem, & filiationem diſtingui ab aliquo quod eſt eſſentia, videlicet à paternitate? Vtique hoc ab omnibus conceditur, & eſt de fide. Ergo per ſolam negationem maioris, totum corruit argumentum Scoti, quod cenſebatur inſolubile.

Aliqui inuertunt hoc idem argumẽtum tali pacto, illud vrgendo, iuxtà regulas Ariſtotelicas. *Paternitas eſt idem ex natura rei cum eſſentia. Sed filiatio eſt idem*

idem ex natura rei cum essentia. Ergo filiatio est idem ex natura rei cum Paternitate, iuxta illud *Quæ sunt eadem vni tertio, sunt idem inter se*. Multi non aduertentes fallaciam huius syllogismi, respondent, distinguendo maiorem, sequẽtes vestigia Patris Perez, Paternitas à parte rei est idem ex natura rei cum essentia, & cum omni eo, quod est essentia, negant: Cum essentia tantùm, & nõ cum omni eo, quod est essentia, concedunt maiorem. Et distincta eodẽ modo minori, negant consequentiam. Sed hæc responsio patitur easdem difficultates, quas supra retulimus. Ideo illa omissa,

Ad argumentũ respondeo, concessis præmissis, negando consequentiam, quæ in secunda figura non potest sequi ex vtraque præmissa affirmatiua. Alioquin valeret etiam hoc argumentum *Michael est animal, asinus est animal, ergo Michael est asinus*, quod est ridiculum. Ad illud principium *Quæ sunt eadem vni tertio &c.* dico tunc illud habere suã vim, cum extrema, quæ sunt eadem cũ tertio, non habent oppositionem relatiuam, & non distinguuntur ab illo distinctione virtuali intrinseca, sicut sunt

Paternitas, & filiatio respectu essentiæ, sed sunt idem cum illo omnibus modis, vt diximus supra, cum explicaremus conceptum obiectiuum identitatis realis.

Secundum Scoti argumentum petitum ex distinctione intellectus diuini à voluntate, quia pendet omnino ab intelligentia horum terminorum; Ideo supponendum est ex theologia, duplicē dari in Deo voluntatem (quod idem dico de intellectu) absolutam videlicet, communem omnibus Personis, & notionalem propriam singularum. Nam Pater e.g. quatenus simul cū filio spirat tertiam Personam, videlicet Spiritum Sanctum, dicitur habere formaliter voluntatem notionalem, idest voluntatē non solum volentem, sed etiam spirantem, & producentem ad intrà terminū spiratum. Et idem Pater quatenus est aliquod constitutum ex essentia, & relatione Paternitatis, & quatenus actu intelligit, & producit ad intra Verbum Diuinum, dicitur habere intellectum notionalem, qui distinguitur virtualiter intrinsecè ab essentia, sicut etiā volūtas notionalis. Hoc posito, concessa maiori,

distinguo

distinguo minorem. Voluntas diuina notionalis non distinguitur realiter ab intellectu notionali, nego: Voluntas absoluta non distinguitur realiter ab intellectu absoluto, concedo minorem; Et nego consequentiam. Cùm enim tã voluntas, quam intellectus absolutus sint realiter vna, eadẽque simplicissima diuina essentia, neque admittunt distinctionem realem, neque formalem scotisticam, sed puram distinctionem rationis, seu metaphysicam. Voluntas autem, & intellectus notionales, quia sunt identificati realiter cum perfectionibus relatiuis, idest cum Diuinis Personis, non solùm inter se distinguũtur ratione, sed etiam ex natura rei, seu realiter, vt toties huc vsque diximus de Personis. Verùm hæc ad Theologos.

ARTICVLVS QVINTVS.

An distinctio sit aliquid superadditum?

INstituitur hæc quæstio, quia multi non ignobiles Philosophi varia dixerunt de distinctionum quidditate. Nam aliqui arbitrati sunt, distinctionẽ

omnem

omnem nihil esse aliud, quàm puram negationem identitatis eorum, quæ distinguuntur. Alij dixerunt, eam esse modum aliquem positiuum extremis superadditum; & alij alia.

Dicendum primò, nullam distinctionem, siue realem, siue rationis esse modum positiuum extremis superadditũ. Probatur, quia ea quæ distinguuntur, necessariò distinguuntur; Non enim potest aliquid modò esse idem cũ alio, & modò ab illo distingui, vt patet. Ergo non sunt indifferentia ad talem distinctionem. Sed modus non est possibilis, saltem naturaliter, nisi ad ablationem indifferentię, ut probauimus in articulo 1. Ergo distinctio non est modus positiuus superadditus extremis, quæ distinguuntur.

Dicendum secundò, nullam distinctionem extremorum positiuorum esse aliquid merè negatiuum. Probatur primò, quia hoc negatiuum cui opponeretur? Non unioni, quia hæc est compossibilis cum ipsa distinctione actuali, ut supra uidimus in primo articulo; ergo si daretur hæc negatio distinguens, maximè opponeretur extremorum identitati:

titati. Sicut enim ea quæ distinguũntur non sunt idem; Ita ea quę sunt idem, nõ distinguuntur. Sed hoc dici, non potest. Quia hæc identitas uel esset possibilis, uel impossibilis? Si primum. Ergo ea, quæ sunt actu distincta, possent non distingui, sed identificari, adeoque Petrus posset esse idem cum Paulo. Probo consequentiam, quia omne possibile potest reduci ad actum secũdum. Ergo si esset possibilis identitas Petri cum Paulo, possent simul identificari, quod est ridiculum. Si uerò dicatur distinctio esse negatio identitatis impossibilis extremorum; Contra est primò quia cùm hæc identitas neque detur, neque possit dari, esset aliquid merè negatiuũ, sicut asseritur esse chimęram ab ijs, qui illam admittunt ex parte obiecti. Ergo uel nullum habet oppositum, eo quòd sit aliquod necessarium, & necessario non sit oppositum, ut probabimus in libro tertio; Vel illud erit positiuum, nè admittatur una mera negatio alteri cõtradictoriè opponi, tãquam negatio negationis. Secũdò cõtra est, quia omnis idẽtitas, quæ cõcipitur, est possibilis, ut infra uidebimus in tertio libro, & per con-

consequens nulla negatio, quæ de facto detur, opponitur idētitati impossibili.

Dico tertiò distinctionem omnem, siue realem, siue rationis, nihil esse formaliter, præter extrema, quę distinguūtur. Probatur, quia illa est causa formalis adæquata alicuius effectus formalis, qua solū posita, & ablatis quibuscumq; alijs, intelligitur poni talis effectus. Sed positis quibusuis duobus extremis, quæ dicuntur distingui, & ablatis omnibus alijs, datur distinctio inter illa extrema. Ergo eorum distinctio per illa tantùm formaliter constituitur. Maior est euidēs. Minor probatur, quia (ut diximus), extrema, quæ distinguuntur, nō possunt non distingui. Et positis tantùm e. g. Petro, & Paulo, etiamsi per impossibile intelligantur ablata omnia alia, adhùc semper, immò necessariò Petrus non esset Paulus, sed ab illo distingueretur. Si ergo extrema quæ dantur, erunt entitates reales, constituent formaliter realem distinctionem. Sin autem erunt formalitates metaphysicę, uel rationis, constituent distinctionem rationis, non quidem ex parte ipsorum conceptuum (quorum physica pluralitas cō-

stituit

stituit semper formaliter physicam distinctionem) sed ex parte obiecti, ex ui talium conceptuum ex uno in plura quodammodò multiplicati. Quòd si unum, uel ambo sint modi, constituent distinctionem modalem, & sic de reliquis, adeo ut ad multiplicabilitatem physicam extremorum, multiplicentur quoque physicè distinctiones.

Dico quartò omnem separabilitatē, siue realem, siue intentionalem esse signum infallibile distinctionis actualis, illam realis, & hanc rationis. Probatur euidenter primò, quia nihil posset à se ipso separari. Ergo totum, id quod est ab alio separabile, actu distinguitur ab illo, à quo est separabile. Deinde, quia nihil potest concipi sine se ipso, uel sine sua entitate. Ergo totum illud, sine quo aliud potest concipi, non est sua entitas, seu suum esse. Sed omnia posſūt concipi absque eo, à quo possunt separari. Ergo etiam ab illo distinguuntur.

Ex quo obiter infer alterum absurdum eorum philosophorum, quos reiecimus art. 1. huius disputationis, qui negant partibus continui actualem distinctionem, quamuis concedant earum

rum separabilitatem. Qui enim fieri potest, vt pars A. ligni e.g. sit idem actu cum parte B., à qua est physicè separabilis? Si enim supponamus, vnā ab alia separari, quęro, pars A. vel remanet eadem, vel non? Si primum. Ergò pars B. non erat eius entitas; Quomodò enim posset A. remanere cū eadem entitate, si facta fuisset eius entitatis diuisio? Si verò dicamus, non remanere eamdem partem A. post separationem à B. Ergo non erat ab illa separabilis; Quomodo enim potest aliquid esse separabile ab eo, sine quo non potest existere? Alioquin possemus dicere, etiam potētiam intellectiuam esse physicè ab anima rationali separabilem, quamuis facta separatione, vnum sine alio manere nō possit, quod est absurdum.

Horum argumentorum vim conantur effugere plerique ex his respōsione planè ridicula, & quam sine risu numquam audiui. Responsio autem est huiusmodi. Verum quidem est, non posse aliquid esse idem inseparabiliter cum eo, à quo potest separari, cæterùm potest esse idē separabiliter: Perinde quasi aliquid noui dicant, & non petant principium,

cipium, idem semper adhibendo prò thesi, quod alia voce adhibent ad respondendum. Siquidem interrogo huiusmodi homines: Quando dicunt posse aliquid esse idem separabiliter cũ alio, dicuntne aliud, quàm separabilitatem partium, esse sociabilem cum earum identitate, vel non? Si secundum. Ergo cùm hæc sit earum conclusio, probant idem per idem, & petunt principium. Si primum. Ergo nihil ad rem, cùm argumẽtum oppositum probet, non esse possibilem partium identitatem cum earum separabilitate.

Præterea quid est, aliquid esse idem cum alio separabiliter? De hac eadem responsione redeunt argumẽta superiùs facta. Nam cùm esse idem, sit habere consensum in perfectionibus, vt dictum est. Ergo si A. est idem separabiliter cũ B. habet cõsensum cum illo in omnibus perfectionibus. Hoc posito, peto, facta separatione actuali vnius ab alio, retinentne hunc consensum, necne? Si primum. Ergo potest aliquid esse idem cũ alio, à quo est non solùm distinctum, sed physicè separatum; & per consequens lignum A. existens Venetijs poterit

terit esse idē cum ligno B. existēte Neapoli, quæ sunt absurda. Si verò negetur, remanere talem consensum; Cótra est, quia remanentibus A. & B., non potest per solam separationem eorum perire identitas, alicquin neque possent simpliciter remanere. Cum enim identitas sit eorum entitas, non remanente identitate, neque entitas remaneret, quod est falsissimum.

Præterea si possunt ex identificatis separari, poterunt etiam post separationem iterùm identificari, vt certè cōcedent in guttis aquæ, quæ facilè separantur, & iterum fiunt vnum. Erit ergo ijs contingens esse talia, & per consequens essentiæ rerum possent non solū à Deo, sed ab omnibus prò libito variari, quæ absque stomacho audiri non possunt. Huius autem responsionis origo tota quanta quanta est, pendet ex eo, quia huiusmodi Philosophi parum versati in metaphysicis quæstionibus, subtilitatem omnem excōsi, ea quæ sunt similia, dicunt esse identificata, & vnionem intrinsecam cum identitate confundunt. Verùm de his in Physicis.

Ex ijs quæ modò diximus, multi inferunt,

ferunt, inseparabilitatem extremorum esse signum infallibile eorumdem identitatis. Sicut enim (aiunt) quæ sunt separabilia non sunt idem, ita quæ separari nō possunt, debent esse identificata. Scilicet perperam intelligentes illud principium *Contrariorum est eadem Disciplina*, putant totum illud, quod vni conuenit ex duobus contrarijs, debere quoque & alteri conuenire. Hæc tamen illatio est omninò falsa, & reijcienda. Ratio est, quia Pater in diuinis est inseparabilis à filio, à quo distinguitur; Et intellectus, in sententia probabili, distinguitur à voluntate, & tamen ab illa separari non potest. Illud ergo principium debet ita intelligi, vt scilicet ad eamdem scientiam, quæ sub nomine disciplinæ exprimitur, spectet consideratio vtriusque contrarij. Nam e. g. ad eamdem physicam, quę agit de forma, spectat etiam agere de eius priuatione; Et ad eamdem medicinam, quę agit de morbis, spectat etiam agere de animalium sanitate, & sic de reliquis. Non autem debet intelligi, quòd eadem sit ratio, siue consideratio vtriusque contrarij, Alioquin sicut priuatio est carē-

tia

tia form.æ, ita & forma esset carentia sui, quod est impossibile.

Neque pluris valet aliorum respõsio non ignobilium Philosophantium, videlicet extremorum separabilitatem esse solùm signum distinctionis aptitudinalis, siue in potentia, non verò distinctionis actualis. Ratio est, quia sicut illi primi vnionem cum identitate, ita & hi distinctionem cum diuisione confundunt. Peto enim ab his, antequam diuidantur ab inuicem A. & B. possunt nè actu distingui? Si concedatur. Ergo cùm distinctio, (vt supra probauimus) sit aliquod necessarium, de facto actu distinguuntur, etiam si actu non separentur; Et per consequens cùm hoc cõtingat in omni quorumcumque extremorum separabilitate, valebit semper ex illa actualem inferre eorumdem distinctionem. Quòd si negetur, posse distingui ante diuisionem. Ergo vel distinctio est formaliter ipsa diuisio, uel aliquod esentialiter cum illa connexũ? Primum autem probauimus esse falsũ, exemplo diuinarum Personalitatum, animæque potentiarum distinctarum simul, & inseparabilium. Secundum gratis

gratis asseritur, & reijcitur etiam ex eodem capite, quia potest dari distinctio absque diuisione. Ergo conceptus diuisionis impertinenter se habet ad conceptum distinctionis, & per consequens remanet inconcussa doctrina supra relata, quòd bona sit consequentia actualis distinctionis e separabilitate.

Dico quintò, bene posse inferri distinctionem actualem ex mutua extremorũ negabilitate in recto. Sicut enim diximus, mutuam in recto affirmabilitatem arguere extremorũ idẽtitatem; Ita ex eorumdem mutua in recto negabilitate, arguitur distinctio actualis. Ratio est euidens. Cùm enim omnis actus negatiuus sit diuisiuus, eo quòd separet intentionaliter subiectum à prædicato, omnis mutua negabilitas in recto, erit quoque separabilitas; & per consequens sicut hæc, erit signum actualis distinctionis. Nam e.g. quando ego dico *Petrus non est lapis*, separo intentionaliter Petrum à lapide. Et ideo si Petrus uerè non distingueretur à lapide, neque posset hic uerè de illo negari, ut contingit in hoc *Petrus non est*

homo,

homo, quæ negatio ideo est falsa, quia *homo* non distinguitur à *Petro*, de quo negatur.

Ex dictis infer, distinctionem ex parte obiecti non differre ab extremorum pluralitate, quamuis ab illa formaliter differat. Differentia autem formalis consistit in hoc, quòd pluralitas dicat plures entitates in recto, at uerò distinctio dicit unam entitatem in recto, & aliam in obliquo. Quæ diuersitas, quia ex parte obiecti non inuenitur, ideo ex parte obiecti non differunt.

Contra ea quæ diximus, duplex oritur difficultas. Altera contra secundam conclusionem, & altera cõtra tertiam. Prima est huiusmodi. Petrũ distingui à Paulo e. g. est Petrum non esse idem cum Paulo. *Sed nõ esse idem* est aliquod merè negatiuum, quia dicit negationẽ identitatis Petri cum Paulo. Ergo distinctio est aliquid merè negatiuum. Secunda est hæc. Ferrum distinguitur essentialiter à lapide. Ergo sicut ferro est adæquatè intrinseca essentia, ita est illi adæquatè intrinseca distinctio à lapide.

Ad primam nego maiorem. Ratio est,

eſt, quia etiam quando Petrus non exiſtit, non eſt idem cum Paulo, & tamen ab illo tunc non diſtinguitur. Quare ſicut *Petrum eſſe Petrum* non eſt formaliter *non eſſe Paulum*; Ita *Petrum ab illo diſtingui* non eſt formaliter *non eſſe idem cum illo.*

Ad ſecundam nego conſequentiam, quia ſi diſtinctio ferri à lapide eſſet adęquatè intrinſeca ipſi ferro, illo ſolùm poſito, & ablatis omnibus alijs, daretur. Sed hoc eſt falſum, quia poſito ſolo ferro, & non poſito lapide, non dicitur illud ab hoc diſtingui. Ergo hæc diſtinctio includit vtrumque, & non ſolùm Ferrum. Deinde, quia ſicut non ſequitur, ſimilitudinem Petri cum Paulo eſſe adæquatè intrinſecam ipſi Petro, eo quòd Petrus eſsẽtialiter ſit ſimilis Paulo; Ita neque ſequitur, illum ab hoc diſtingui per adæquatè ſibi intrinſecam diſtinctionem.

Quòd ſi dicas, per illud idem, per quod res adęquatè cõſtituitur in ſuo eſſe, adæquatè diſtinguitur ab omni alio; Atque adeo cùm ſingula entia conſtituantur adæquatè in ſuo eſſe per ſuam eſſentiam, per illam quoque adæquatè

distinguũtur ab omni alio; Nego antecedẽs. Nã cùm distinctio sit alicuius ab alio distinctio, est relatio prædicamentalis. Ad hoc ergo vt detur adæquatè, non satis est, quòd detur solùm vnum, videlicèt fundamentum, quamuis hoc illam constituat essentialiter. Hoc enim aliud non significat, nisi esse essentiale fundamento, quòd sit fundamentum, posito quòd detur terminus, videlicet quòd constituat inadæquatè talem relationem per suam essentiam. Sicut igitur A. non constituit adæquatè binariũ cum B, quamuis illud constituat per suam essentiam; Ita neque Petrus constituit formaliter adæquatè distinctionem à Paulo, quamuis illam constituat per suam essentiam.

Neque obstat quòd Petrus per suam entitatem præcisè, & adæquatè non sit Paulus; Ex hoc enim non infertur, Petrum per suam entitatem præcisè distingui à Paulo. Primò quia distinctio est conceptus positiuus, adeoque non potest constitui per aliquod negatiuũ, sicut est *non esse aliud*, quod conuenit etiam rei non existenti, & quæ per consequens non distinguitur ab existente.

Secundò

Secundò quia etiam *non esse aliud*, dicit aliquod extrinsecum rei, quæ non est aliud, preter eius entitatem; Dicit .n. vel negationem alterius, quod non est, vel eius entitatē extrà suam. Ergò quamuis concederetur, distinctionem unius ab alio, esse *hoc non esse illud*, adhuc tamen non probatur, huiusmodi distinctionem esse adæquatè intrinsecam rei, quæ ab alia distinguitur.

Finis Libri Primi.





LIBER SECVNDVS

Disputationum Metaphysicarum

Auctore Petro de Comitibus Romano artium, & Sacræ Theologiæ Doctore.

PRolusimus (vt ita dicam) in primo libro disputationibus ferè præambulis ad materiam de Ente rationis, vltimum finem huius tractatus. Nunc ad illam propiùs accedamus, quod fiet, si de rerum possibilium notionibus disseramus; facilis enim erit exinde gradus ad impossibiles. Quia tamen sæpe mentionem fecimus, & faciemus inferiùs de Deo Optimo Maximo, operæ pretium duco, in hoc secundo libro aliquot terminos explanare, quorum intelligentia nonnullis aliqualem fecit difficultatem. Huiusmodi sunt, dicere quòd Deus sit vnicus;

cus;

cus; quòd Suppositum diuinum in Christo Domino habuerit aliquam inceptionem, & nouitatem, & alii similes. Quare hìc triplicem instituemus disputationem, primam de rerum possibilitate contingentium, secundam de possibilitate entis necessarii, vbi de terminis vnicus, & vnicitas, &c., & tertiam de subsistentia, in qua agemus de supposito Christi Domini, quantùm spectat ad rem præsentem.

DISPVTATIO PRIMA

De rerum contingentium possibilitate.

ARTICVLVS PRIMVS

An possibilitas rei contingentis sit aliquid illi intrinsecum, & contingens?

NOn agimus hìc de possibilitate nostri veri Dei, cuius in Trinitate ineffabili essentialé Vnicitatem, statuemus inferiùs disputatione sequenti. Quia cùm hic Deus sit aliquid

necessarium & causa omnium aliorum, per se ipsum formaliter, & necessariò existit; Atque adeo eius possibilitas est eius essentia, cùm nihil possit inueniri, quod habeat respectu illius rationem causæ, vel prioris.

Possibilitas ergo rerum contingentium, de qua solùm hìc agimus, est forma abstracta huius concreti *possibile*, cuius subiectum est omne id, quod potest existere. Id autem, quod potest existere, est duplicis generis: Vel enim ita potest existere, vt de facto existat prò aliqua differentia temporis, vel præsentis, vel præteriti, vel futuri, & hoc dicitur *possibile*; Vel ita potest existere, vt prò nulla differentia temporis existat, vt est alius mundus e. g., & hoc dicitur *merè possibile*. Quare omne possibile est extrà causas, eo quòd habeat actualem existentiam, per quam coexistat diuinæ æternitati; Et merè possibile est solùm intrà causas, quia in tantum dicitur esse, in quantùm datur eius causa, per quam potest existere.

Nomine autem tàm possibilis, quam merè possibilis intelligimus etiam entia negatiua, qualia sunt negationes, & priua-

priuationes, quæ vel de facto existunt, vel possunt existere. Hæc enim entia, quamuis abusiuè tantùm, & impropriè dicantur existere, quatenus videlicet sunt non existentia illorum entium, quibus opponuntur, & quæ formaliter excludunt ab existentia; Tamen dicuntur aliquo modo, saltem indirectè, (vt loquitur D Thomas ex Aristotele) contineri in aliqua potentia. Quæ continentia explicatur per hoc, quòd entia, quibus opponuntur, possint vel non poni, vel posita auferri, & destrui. Nam eorum non positio, seu destructio est vnica, & formalis existentia negationũ, seu priuationum. Sicut ergo dicitur possibilis calor, e. g., quia datur causa potens illũ producere, ita dicitur possibilis priuatio caloris, quia datur causa potens calorem destruere, ad cuius destructionem sequitur formaliter eius priuatio. Hoc posito, queritur quidnam sit illud, per quod formaliter aliquid contingens constituitur in esse possibile? seu quodnam sit verificatiuũ actuale huius propositionis *A. est possibile?*

Aliqui duplicem assignant rei possibilitatem, extrinsecam videlicet, quam

vocant proximam, & intrinsecam, quã vocant remotam. Illam dicũt esse Omnipotentiam Dei, & hanc dicunt esse non repugnantiam ad existendum, quã habet ipsa res, quæ dicitur possibilis. Hanc autem non repugnantiam explicant per hanc conditionalem, videlicèt *quòd si tale ens, quod dicitur possibile, existeret, non inuolueret formaliter duo contradictoria.* Quare putãt, possibilitatem intrinsecam, seu non repugnantiam ad existendum, de facto nihil esse aliud, quàm negationem conditionalem inclusionis duorum contradictoriorum, quam negationem haberet tale ens, quod dicitur possibile, posito quòd existeret. Hãc opinionẽ tuetur inter alios, & fusè prosequitur Arriaga disput. 2. met. sect. 1. subsect. 4.

Sed hæc Doctrina, quamuis multos habeat magni nominis asseclas, mihi nõ probatur. Ratio est, quia cùm res non existẽs de facto sit possibilis, debet eius possibilitas de facto existere, ad hoc vt verificet hanc propositionem. *A. est possibile*. Sed hæc non repugnantia, non est aliquid de facto existens simpliciter, & absolutè, vt ipsemet fatetur Arriaga,

loco

loco citato, num. 22., alioquin non esset intrinseca ipsi possibili, de facto non existenti. Ergo non potest esse formaliter possibilitas. Neque sufficit quòd existat conditionatè, quia illud, quod existit tantum conditionatè, simpliciter non existit, sed solùm est aptum existere, posito quòd purificetur conditio. Ergo non potest esse constitutiuū formale alicuius existentis de facto; Alioquin posset aliquid nunc denominari calidum per calorem, quem haberet, si poneretur propè ignem.

Sit ergo conclusio. *Nihil identificatū cum obiecto contingenter existenti, potest esse eius possibilitas.* Probatur, quia quidquid est intrinsecum contingenti, est essentialiter contingens, atque adeo quod potest non esse. Ergo non potest constituere aliquod necessarium. Sed possibilitas rei cōtingentis est aliquod necessarium; Quidquid enim est possibile, necessariò est possibile, vt infra probabo. Ergo non potest formaliter constitui per aliquod intrinsecum ipsi creaturæ.

Dices. Ideo chimæra non est possibilis, quia si existeret, inuolueret secum

duo contradictoria. Ergo illud quod est possibile, ideo est possibile, quia si existeret, non inuolueret cõtradictionem. Sed illud constituit formaliter impossibilitatem chimæræ. Ergò hoc constituit formaliter possibilitatem rei contingẽtis. Atque adeo cùm illud sit aliquod intrinsecum chimæræ, etiam hoc erit intrinsecum obiecto contingenti possibili; adeoque tàm possibilitas, quàm impossibilitas erunt intrinsecæ.

Hoc argumentum supponit cum cõmuni, posse concipi ex parte obiecti aliquid impossibile, quod nos inferiùs ostendemus esse falsum. Prò nunc tamen præscindimus a nostra doctrina, & supposita communi, respondeo ad argumentum negando maiorem. Quamuis enim verè chimera sit talis, vt ex hypothesi quòd existeret, inuolueret contradictionem; non tamen ideo de facto est impossibilis, quia ex suppositione existentiæ inuolueret duo contradictoria. Hoc autem quia videtur difficile, ideo sic illud efficaciter probo, vt appareat, impossibilitatem chimæræ non esse prædicatum intrinsecum ipsi chimæræ.

Quòd chimera sit impossibilis, adeoque

que eius impossibilitas vel est aliquid contingens, vel necessarium? nõ primũ, alioquin chimæra posset existere, quia cùm omne contingens possit non esse, posset nõ esse eius impossibilitas. Ergo est verum secundum. Tum sic, vel datur de facto hæc impossibilitas necessaria, vel non datur? Si non datur, non est aliquod necessarium, quia non solùm potest non dari, sed de facto non datur, & sicut valet consequentia ex actu ad potentiam, ita ex negatione existentiæ ad potentiam non existendi. Si datur de facto. Ergo non potest esse aliquod intrinsecum rei non existenti, vt patet. Chimæra autem non existit, immò neque potest existere. Ergo non potest esse aliquod intrinsecum ipsi chimæræ, & per cõsequens est aliquod illi extrinsecum. Sed nihil preter Deum est necessarium. Ergo impossibilitas chimæræ est solus Deus. Ex hoc tamen non infertur (vt aliqui somniarunt) ipsum Deum esse impossibilem, ex eo quòd sit chimæræ impossibilitas, quod solùm inferretur, si esset impossibilitas sui.

Hoc posito, adhùc remanet difficile, quomodo ens absolutè, & simpliciter

necessarium sit alterius non existentia, seu impossibilitas. Ideò ad hoc vt penitus eradicetur difficultas, Dico cum D. Thoma, chimæram esse impossibilem prouenire formaliter, & adæquatè à summa, & infinita Dei perfectione, ratione cuius non potest poni chimæra. Probatur euidenter; Nam si Deus poneret chimæram, operaretur imprudētissimè, eo quòd illud idem, quod efficaciter vellet, simul etiam efficaciter nollet, adeoque idem poneret, & non poneret, quod esset ridiculum.

Probatur assumptum. Posito enim, quòd chimæra dicat e.g. Petrum, & negationem Petri, non posset Deus velle chimæram, quin simul vellet Petrum, quatenus chimæra dicit Petrum, & illū nollet, quatenùs chimæra dicit eius negationem. Nam nolle aliquid, est velle eius negationem formaliter. Ergo cùm hoc sit proprium opificis stulti, & imprudentissimi, nō potest Deo vllatenùs conuenire. Sed nihil potest poni sine concursu Dei. Ergo ideo chimæra non potest poni, quia eius positio est imperfectio, quæ Deo conuenire non potest.

Dices,

Dices. Est intrinsecum chimeræ inuoluere contradictionem, ex hypothesi impossibili eius existentiæ absolutæ. Ergo etiam erit illi intrinsecum inuoluere contradictionem, sub conditione existentiæ conditionatæ. Nego consequentiam. Disparitas est, quia in primo casu, vtcunque chimæra existeret, adeo que posset aliquid de illa verificari. At in secũdo casu nullo modo existit. Quare sicut ex eo quòd *esse hominem*, sit intrinsecum Petro, in statu absoluto existentię, non sequitur, hoc esse illi intrinsecum etiam in statu cõditionato, quia conditio nihil ponit in esse; Ita & dicẽdum de chimæra. Vnde sequitur, non repugnantiam istam, quam vocãt possibilitatem intrinsecam, seu remotam, nullo modo esse dicendam possibilitatem.

ARTICVLVS SECVNDVS

An possibilitas rei contingentis sit aliquid illi extrinsecum, & quid sit?

VIdimus, impossibilitatem chimæræ esse summam, & infinitam Dei

Dei perfectionem, entiumque contingentium possibilitatem nō esse aliquid illis intrinsecum, & cōtingens. Superest, vt videamus, quid sit hoc extrinsecum obiecto contingenti, ratione cuius denominatur; & constituitur formaliter in esse possibile, & contradistinguitur ab impossibili.

Prima conclusio. *Possibilitas cuiuscūque obiecti contingentis est aliquid absolute, & simpliciter necessarium, quoad existentiam*. Probatur primò, quia totum illud, quod est possibile, est ita possibile, vt per nullam potentiam possit trāsitum facere ad esse impossibile. Ergo necessariò est possibile. Sed si eius possibilitas esset contingens, non esset necessariò possibile, quia cesſāte eius possibilitate, cessaret esse possibile. Ergo eius possibilitas est necessaria quoad existentiam. Probatur primum antecedens, quia alium mundum esse possibilē: e. g. adeòque eius possibilitas non est aliquid contingens, quod possit modò dari, & modò non dari, quod idem dico de omnibus alijs. Ergo est aliquid necessarium. Probatur secundò, quia quidquid est possibile, ab æterno fuit possi-

possibile;non enim incæpit ita esse possibile,vt antea nō esset.Ergo ab æterno dabatur possibilitas omnium entium possibilium. Sed nihil contingens fuit ab æterno. Ergo nihil contingens est possibilitas.

Secunda conclusio. *Possibilitas adæquata omnium rerum est sola Omnipotentia Dei.* Probatur primò ex dictis, quia cùm possibilitas fuerit ab æterno, & sit aliquid simpliciter necessarium quoad existentiam,aliud nō potest esse, quàm Deus,qui solus fuit ab æterno, & solus necessario existit.Probatur secundò. quia illud, est causa formalis adæquata alicuius effectus formalis, quo solùm posito,& sublatis omnibus alijs, ponitur talis effectus formalis. Sed posita sola Omnipotentia, & ablatis omnibus alijs,habetur omnium rerū possibilitas.Ergo Omnipotētia Dei est causa formalis adęquata possibilitatis omnium rerum; & per consequens ipsa possibilitas formaliter.

Multa sunt argumenta contra hanc doctrinam. Primū ducitur ex paritate visibilitatis, quæ sicut, præter potentiā visiuam, dicit aliquid ex parte ipsius obie-

obiecti concurrentis suo modo ad visionem; non enim habetur adæquatè ex potentia visiua quòd sit visibilis color, & non sonus; Ita etiam videtur inferri, præter virtutem causæ productiuæ adęquatę, debere aliquid esse in ipso effectu, ratione cuius habeatur, quòd illi potius, quàm chimæræ conueniat denominatio possibilis. Quod si concedatur, debet quoque concedi possibilitas contingens, & intrinseca possibili.

Alterum ducitur ex conceptu possibilitatis, qui nisi admittatur possibilitas intrinseca, aliud non significat, quàm meram producibilitatem passiuam. Hoc autem videtur falsum ex eo, quia huiusmodi cōceptus non cōuenit Deo, cui cæteroqui conuenit conceptus possibilis. Quòd autem Deo conueniat cōceptus possibilis, probant quia illi conuenit conceptus entis, quem non distinguunt à conceptu possibilis.

Tertium argumentum est huiusmodi. Quando dicitur *Antichristus est possibilis*, dicitur aliquid præter Deum, non enim idem dicitur, ac si dicatur *Antichristus existit*. Ergo hæc propositio non verificatur per solam omnipoten-

tentiam Dei. Cùm igitur verificari non possit, nisi per possibilitatem, aliquid præter Deum est possibilitas.

Ad primum nego paritatem. Primò quia visibilitas non est aliquod necessarium, sicut possibilitas, & ideo potest esse aliquid intrinsecum obiecto contingenti. Secundò quia visibilitas non antecedit existentiam obiecti visibilis, immo illam necessariò supponit, adeoque potest supponere aliquid illi intrinsecum; Quod non verificatur de possibilitate, quæ cùm fuerit ab æterno, non supponit existentiam rei possibilis, sed illam omnino antecedit. Tertiò quia visibilitas denominatur à visione. Visio autem non potest fieri, nisi per concursum specierum visibilium emanantium ab ipso obiecto, vniatur potentia cum obiecto visibili, adeoque debet supponere aliquid in ipso obiecto, sine quo obiectum non est visibile, vt est color, lux &c. Ad hoc autẽ vt dicatur aliquid possibile, nullus est necessarius concursus ex parte ipsius, vt dictum est. Ergo hæc denominatio habetur per formam illi omnino extrinsecam.

Ad secundum concedo sequelam maioris.

maioris. Ad cuius probationem dico, Deum non dici vniuocè possibilem cũ creaturis, sed analogicè. Et ideo ab initio professi sumus, non esse hic sermonẽ de possibilitate Dei, sed solùm obiecti cõtingentis; quod intantũ dicitur possibile, inquantũm vel est extrà causas, vel potest extrà illas poni. Cùm ergo vtrũque habeatur ab alio, scilicèt à causa productiua, ideo idem erit aliquod esse possibile, atque illud vel esse de facto productum, vel posse produci; quod vtrumque explicatur per hunc terminũ *producibile*. Deus autem dicitur solùm possibilis logicè, videlicet per hoc quòd semper actu, & necessariò existat à se, quod cum *produci*, vel *esse productum*, vniuocè conuenire non potest. Vnde patet solutio ad aliam doctrinam de conceptu entis. Cùm enim ens dicatur à verbo *sum*, quod significat existentiã, vt colligitur ex Aristotele, qui passim ea quæ non sunt, vocat non entia, non potest esse cõceptus possibilis, cui nulla est necessaria existentia obiecti, ut nuper diximus. Quare ex hoc ipso, quòd conceptus entis cõueniat vniuocè Deo, colligitur contrà arguentes, illum non esse

esse conceptum possibilis, qui Deo non conuenit, nisi analogicè.

Neque obstat, quòd creaturæ merè possibiles dicantur entia, quamuis nullam habeant existentiam. Ex hoc enim non arguitur, conceptum entis non dicere existentiam, sed solùm huiusmodi creaturas dici entia impropriè, & lato modo, quatenùs scilicet possunt existere, & si existerent, haberent existentiã. Ad hoc enim vt aliquod veniat vtcunque sub aliquo conceptu communi, satis est disiunctiuè, quòd vel illi conueniat illud, quod importatur per talem conceptum, vel quòd illi conueniret, posito quòd existeret; vt patet in conceptu creaturæ; qui licèt dicat dependentiam actualem à Deo, tamen conuenit etiam impropriè non existenti, quod si non pendet absolutè, pendet nihilominus à Deo, ex suppositione existentiæ. Quare cum merè possibili, ex suppositione conueniat existentia, importata per conceptum entis, potest impropriè dici ens.

Ad tertium nego consequentiam. Non enim totum illud, quod habet rationem obiecti, habet etiam ratio-

nem

nem verificatiui, in propositionibus, vt videre est in hac propositione *homo est animal*, cuius verificatiuum est vnum tantùm animal, quod est in homine, quamuis eius obiectum sit omne animal. Quare etsi concedatur per ly *Antichristus est possibilis*, importari aliquid aliud ex parte obiecti, præter omnipotentiam Dei, non tamen exinde probatur, illud esse propositionis huiusmodi verificatiuũ, & per consequens possibilitatem Antichristi. Quòd si dicas hoc aliud, præter Deum, dari in ipso obiecto, adeoque esse possibilitatem intrinsecam, distinguo: datur in ipso obiecto realiter, & de facto, nego: datur obiectiuè, & de possibili: concedo. Ex hoc autem inferri non potest, esse ullo modo possibilitatem quam supra probauimus esse totam adæquatè de facto existentem. Neque obstat, quòd hoc obiectum non sit chimera. Ex hoc enim infertur quidem non habere tantùm esse obiectiuè in intellectu, non autem habere exiſtẽtiam actualem. Cum ergo chimæra ita non sit, vt neque possit existere, ad hoc vt aliquid non sit chimæra, satis est, quòd alterutrũ habeat, videli-

cet

cet quòd vel existat, vel possit existere, preter, hoc quod est esse obiectiuè in intellectu, seu cognosci. Cū igitur hoc aliud, præter esse obiectiuum, habeat etiam posse existere, ex vna parte non est chimæra, & ex alia non potest esse possibilitas Antichristi.

DISPVTATIO SECVNDA

De possibilitate Entis necessarij.

ARTICVLVS PRIMVS

An detur possibilitas plurium Deorum?

STatuimus in prima disputatione, nos hìc non agere de possibilitate veri Dei, sed solùm de possibilitate rerum contingentium. Quia tamen his fermè temporibus, occasione cuiusdam nostræ doctrinæ perperam intellectę, multa, hac super re, à nonnullis ingeniosis modernis agitata percæpi; Ideo abs re non futurum arbitror, neq; ingratum lectori, quòd aliqua hìc, citatissimo calamo, innuam potius, quàm de-

decidam, cùm optimè sciam, hanc esse materiam, philosophicam quidem, immò fundamentum totius naturalis philosophiæ, sed vulgò ab omnibus ferè habitam theologicam.

Vnicitas essentialis Dei est adeo certa, & euidens, vt solo ductu naturalis philosophiæ euidenter probari possit, ut patebit in physicis, ubi ex professo agemus de hac materia. Nihilominus tamen dicũtur nõ defuisse nonnulli, qui in ipso Sole meridiano cæcutiẽtes, uel admisere de facto Deorũ pluralitatẽ, uel illam ut possibilem prædicarunt. Non loquor hic ego de Æthnicis, & idololatris, quorum error magna ex parte, in nobilioribus mũdi regionibus, sua spõte concidit, & in proprijs obijt cineribus tumulatus, quamuis sectatores habuerit primos terrarum Dominos, ipsumque Romanum imperium adoratorem. Loquor de Apellitis, quorum meminit Eusebius lib. 5. hist. c. 13., de Manichæis, de Cerdone, & Marcione relatis ab Irenæo lib. 1. c. 28. & 29. & Theodoreto lib. 1. hæres. fabul. de Gnosticis ex patre Carpocrate, ut uidere est penès Epiphanium, hæresi 33. & 36. & Austug.

August.l.b.de heres.c.1., De Valentino, Secūdo, Triteitis, alijsque sexcētis huius farinæ hominibus quos cōgerit Aduersarius, qui quāuis sub unius Numinis nomine, sacrosanctis Lustrati undis, renati essent ad uitam gratię, iterum tamē per plurium admissionem Deorū siue actu existentium, siue physicè possibilium, impiè recedētes ab unitate Romanę fidei, ex membris Christi, ut loquitur Apostolus, in adoptionem Diaboli miserè ceciderunt.

Contra huiusmodi monstra, & si qui sunt alij diuinitatis hostes, ignita eloquentiæ diuinæ fulmina contorserunt, inter alios Basilius orat. contra Sabell., & Arrium, D. Tho. 1. p. q. 11. art. 3. & 4. Nazianz. ar. 2. de theol., & orat. de natali D., Athan. ep. con. Gregales Sabellij, & ar. con. idola, & lib. de com. essentia diuinit; Iguatius ep. ad Anthioch, Tertull. lib. con. Praxeā, & in apolog. aduer. Gentes c. 10. Cyprian. de vanit. Idol., Ambros. lib. 1. de fide c. 1. Iustin. or. paræn. & lib. de Monarch. Aug. lib. 1. de Trin. c. 4. Lactant li. 1. diuinar. instit. c. 3. & sequen., & ferè omnes Doctores, & Patres. Quare non est, quod hic eorum

tum singula referam loca, eorumque adducam probationes, cùm omnium clarissimè eluceant scripturæ, cùm veteris, tum recẽtis infinita, ut ita dicam, testimonia, quibus nefas est contradicere. Videatur præcipuè in lib. Deut. c. 4. *Dominus ipse est Deus, & non est alius præter vnum*; & c. 32. *videte, quòd ego sim solus, & non est alius Deus præter me*: Isaias c. 45. *Ego Dominus, & non est alius, extra me non est Deus*. Et paulò inferiùs *Conuertimini ad me omnes fines terræ, quia Ego Deus, & non est alius*, quod idẽ confirmatum inuenies passim in tota sacra scriptura. Omissis tamen omnibus his, & infinitis alijs auctoritatibus, deductis cùm e codice sacro, tùm e sanctis Patribus, euidenter probabo rationibus purè philosophicis, Deum esse essentialiter vnicum, & repugnare Deorum multiplicitatem; prò quo sit.

Prima conclusio. *Non datur possibilitas alterius Dei*. Probatur primò, quia vel nomine possibilitatis intelligitur potentia actiua, vel potentia materialis, & obiectiua? Neutrum datur respectu alterius Dei. Ergo nulla datur illius possibilitas. Maior patet ex dictis in

prima

prima disp. vbi probauimus, rei possibilitatem esse idem, atque producibilitatẽ ipsius. Probatur minor, quia sicut non datur causa efficiens entis necessarij, ita neque datur vlla potentia materialis, in qua illud cõtineatur. Probatur prima pars, quia si daretur illius causa efficiens, iam non esset aliquod necessarium, sed posset ab illa non poni; Et etiamsi ab illa necessariò poneretur, iã esset dependens, adeoque non Deus, quia imperfectum. Probatur secunda pars non solùm ex hac eadem ratione, sed etiam quia propter dependentiam à materia, esset aliquid materiale, & corporeum, adeoque imperfectius Angelis, & non Deus.

Probatur secundò, quia hæc possibilitas alterius Dei vel esset hic Deus, vel aliquid extrà hunc Deum, quem colimus, & adoramus? non primum, quia, cùm sit ipsius maxima perfectio, esse vnicum, non potest se illa spoliare, alioquin posset se destruere, quod repugnat enti necessario. Neque secundum, quia omnis possibilitas est necessaria, vt supra vidimus, & multò magis entis necessarij. Sed nihil extra Deum est necessarium.

sarium. Ergo extra illum non datur hęc possibilitas. Ad hoc autem vt melius hæc veritas pateat, sit.

Secunda conclusio. *Deus est essentialiter vnicus, & repugnat Deorum multiplicitas*. Probatur, quia Deo essentialiter conuenit omnis perfectio simpliciter simplex. Sed vnicitas essentialis in suo ordine, est euidenter perfectio simpliciter simplex, vt patet. Ergo conuenit Deo. Sed si daretur Deorũ multiplicitas, Deus nõ esset vnicus. Ergo non esset Deus, quia careret potissima perfectione essentiali. Ergo si darētur plures Dij, nullus esset Deus, quia nullus esset vnicus, quod est Deo essentiale. In quo obiter obserua, me de industria vocasse Deum *vnicum*, & non *vnum*, quia videlicet *vnum* præscindit à singularitate, adeoque etiam conuenit multiplicatis in suo genere; & ideo dicimus *vnus homo*, *vnus equus*, quamuis sint plures homines, & plures equi. At *vnicum* importat in suo conceptu formali singularitatem, idest immultiplicabilitatem in suo ordine, vt obseruat D. Tho. p. p. q. 31. ar. 2. Et ideò non dicimus vnicum filium, qui habeat fratres. Vt ergo exprimerem,

primerem, Deum esse ita vnum, vt non possit multiplicari quoad essentiã, & naturam diuinam, illum dixi vnicũ, & non vnum.

Neque obstat primò quòd Apostolus 1. ad Cor. 8. dixerit *siquidem sunt dii multi, & Domini multi.* Secundò quòd in Deuteron. c. 32. dicatur *Dominus solus dux eius fuit, & non erat cum eo Deus alienus.* Et ibidem infra *prouocauerunt eũ in diis alienis*, in quibus locis videntur supponi Dij alieni. Non inquam, obstãt hæc, & similia loca, quæ possunt in contrariũm adduci: Nam in his appellãtur Dij (vt loquitur D. Tho. 1. p. q. 11. ar. 3. in respons. ad primum) *per errorem Gentilium, qui multos colebant Deos, non autem per virtutem.* Moyses ergo, & D. Paulus, quia loquebantur cũ Hebręis, qui erant rudes, ut eorũm captui indulgerent, loquentes cum illis, vtebantur terminis communibus, qui ea præcipuè tempestate vigebant, ob numerum idololatrarum. Quarè per hæc loca potiùs exprobatur Iudæis, quòd cum Æthnicis aliquo modo sentirent, quàm ijs quidquam prò Deorum numero insinuetur, in fauorem idololatriæ. Videatur D.

Tho. in loco citato, & in summa con. Gentes, egregiè de more disserens de hac materia. Et hęc sola est nostra vera, & germana doctrina de Vnitate Dei.

Vnde patet primò, quàm iniuriosè nos aliqui redarguerint, tamquam fautores Deorum multiplicitatis, cùm illā potiùs funditùs euertamus, vt essentialem propugnemus Numinis vnicitatē, cuius in obsequium tātùm abest vt aliū possibilem Deum cēseamus, vt nè illum conceptibilem quidem asseramus, ut infra probabimus. Hoc autem palam omnibus, semper diximus oretenus, sēper scriptis cōfirmauimus, & tandem, quantùm potuimus, uel typis editis cōclusionibus, professi sumus; & iterum in tertio huius operis libro, argumentis efficacibus, roborabimus. Quare quicunque aliam doctrinam, his de rebus, quocunque modò vt nostram disseminauerit, suam sine dubio nequitiam necesse est patefecerit, cùm nos aliam quamcumque doctrinam, aliter sentiē tem de unitate Dei, quàm Romana sentit Ecclesia, quàm naturalis docet philosophia, quàm nos usque modò docuimus, ut peregrinam, & impiam reijci-

reijcimus,& damnamus. Videatur uniuersa nostra philosophia, quam septennium Venetijs, in celebri Nobilium Achademia professi sumus, & precipuè libri secundus, tertius, septimus, & octauus physicorum, primus de generatione, tertius de Anima, & ferè in omnibus libris metaphysices, & de Cęlo, & inuenietur illa conformis huic, quam modò tradidimus, nequè umquam ab illa uel digitum deflleximus, quidquid in contrarium mentiti sint aliqui.

Patet secundò, quàm parùm solidè philosophētur ij omnes, qui uel putāt, unitatem Dei probari non posse, nisi ex scripturis, uel posse ratione aliqua philosophica admitti possibilitatem alterius Dei. Sicut enim illud ex dictis concluditur esse falsum, ita & hoc ut impium, & rationi naturali repugnans, probauimus explodendum. Superest ergo ut eorū clamoribus occurramus, qui religioni sibi uertūt, Deum *vnicum* appellare; nomenque *vnicitatis*, nonnisi ex inferorum luridis officinis, ad augustissimam Diuinarum Personarū Triadem euertendam, inflatis buccis, erutum proclamant.

ARTICVLVS SECVNDVS

An verè, & piè Deus dicatur vnicus, eiusque vnitas vnicitas appelletur?

Parergon Primum.

MVlti, quorum infinitus est numerus, ad pauca semper, eaque non optima, utpote uulgaria, respicientes, facilè (ut ait Philosophus) pronuntiant, & damnant ut falsa, quæ non intelligũt. Perinde quasi eorum rudis, & infirma capacitas, unica sit intelligendi mensura, & norma philosophandi. Alij, quos irridet Theodoretus, unius auctoris arbitrio emancipati, illius commata uenerantur ut sacramenta; eius uerba ut leges colunt; eius dicta, tamquam in illum illapsæ diuinitatis oracula, quorũ in obsequium captiuant intelligentiã, adorant simul, & contremiscunt. Quare uæ illi, qui ab huiusmodi adorati auctoris iudicio, uel digitum disputando deflexerit; illicò accusatur ut reus; damnatur ut temerarius; irridetur ut inscius; exhibilatur ut hæreticus; & ut impius

ueri-

ueritatis, & diuinitatis osor, si fieri possit, ad gemonias, ad furcas, ad ignem raptatur. In horum manus, eo demum tempore sensi me incidisse, cum nescio quis famosus libellus ad me delat⁹ est, in quo præter alias ineptias, quibus undique scatet, ab amico legẽte, non sine stomaco audiui (neque enim dignatus sum, meis oculis, tam sordidas paginas mendacijs, probrisque refertissimas perlustrare) me non semel, atque iterũ, neque ter, aut quater, sed cẽties, & millies ut hæreticum, Caluino, & Luthero simillimum compellari; eo quòd in uerbo *vnicus* recesserim à D. Thoma 1.p.q.31.ar.2., ubi examinans, an filius sit alius a patre, hæc habet *Debemus etiã vitare nomen vnici, nè tollatur numerus personarum. Vnde Hilarius lib.7. de Trin. dicit, quòd à Deo excluditur singularitas, atque vnici intelligentia. Dicimus tamen vnicũ filium, quia nõ sunt plures filii in diuinis, neque tamẽ dicimus vnicũ Deũ, quia pluribus deitas est cõmunis.* Quare operę pretiũ duco, breuissimè hic quid sentiã exponere super hoc vocabulo, ne ex vna parte uidear in uerbo peccasse; & ex alia, nè quis cogitet, me facer, orẽ, & lit-

teris apprimè deditum, uelle in contentionem uenire, cum hominibus audacissimis, quorum solemne est rixas, turbasque ciere, & queis, (ut ait Tullius) iniuriam feceris, nisi illos ex omnium scelerũ colluuione progenitos nominaueris. Quandoquidem laudem quæritant ex infamia, & ut faciant se famosos, non uni Dianæ templo, sed ipsi Cælo Empyreo iniicerent faces.

Priusquam tamen ad aſsertiones ueniam, duo præmitto. Primum est, doctrinam Diui Thomæ eſse quidem optimam, & ingenioſam, de qua iure narretur elogium illud, tamquã Christi ore prolatum *Bene de me scripsisti Thoma;* & cui ego sum adeo bene affectus, ut uix ullum alium auctorem habeam, quem pluris faciam, & ex quo plura addiscam; & apud quem maiori cum uoluptate diutiùs uerser; illam tamen non eſse Euangeliũ, cui contradici non poſsit, neque dogma Pontificium, seu canon alicuius æcumenici Concilij, ab Eccleſia recepti, & à quo recedere sit hæreticum. Quare Diuus Thomas, in diſputatis, non est ueritatis oraculum irrefragabile, quamuis sit inter alios

Doctores

Doctores Angelicus, cùm multa dicat, quibus, ut taceam infinitos alios, tota Scotistarum celeberrima, doctissima, & numerosissima Schola, apertissimè, nec sine laude, & plausu cōtradicit ut falsis. Quod idem dictum uolo de D. Hilario, inter Theologos nō supremo, quamuis egregio; sed cui in multis, ab alijs Ecclesiæ altioris notæ Doctoribus contradicitur. Quare non valet consequentia. *hoc asseritur à D. Tho. vel D. Hilario. Ergo est de fide. Hoc negatur, & reiicitur à D. Tho. vel D. Hilario. Ergo est hæreticum.* Alioquin omnes Scotistæ essent hæretici, qui plerumque recedūt à D. Tho. & omnes alij Doctores recedentes à D. Hilario, etiam ipsi essent hæretici.

Alterum, quod præmitto, est licere cuilibet Doctori theologo, recedere in opinionibus disputatis, a quolibet alio, quamuis primi nominis Auctore, ut patet ex celebri altercantium Scholarum dissidio, quo maximè gloriatur Christianæ doctrinæ ueritas, nullius ingenio, aut arbitrio circūscripta. Atque adeo legimus, non solùm Scotum contrarium Diuo Thomæ, & Hyeronimum Augustino, sed ipsum etiam (quod mi-

reris) ipsum, inquam, Paulum electionis uas, ut narratur ab ipsomet ad Galat. 2. c., in faciem restitisse, cui nam? forsan Barnabæ, an Andreæ? quod parùm non esset, cùm de singulis Apostolis dictum fuerit Luc. 21. c. *dabo vobis spiritum, & sapientiam, cui non poterunt resistere, & contradicere omnes aduersarii vestri*. Ad maiora tamen erigite cogitationem, restitit in faciem Paulus ipsi Petro; de quo Christus dixerat Matth. 16. 18. *tu es Petrus, & super hanc Petram ędificabo Ecclesiā meā &c.* Sic enim ipse ait in loco citato, *in faciē ei restiti, quia reprehensibilis erat*. Et ratio quare huiusmodi scholasticæ contentiones liceant, & sint etiam aliquādò laudabiles, elicitur ex Verbis Christi nuper citatis *cui non poterunt resistere, & contradicere aduersarii vestri*. Nō licet cōtentio, quādo fit, suadente Diabolo, idest ex animo aduersario; Licet autem, cū fit indagandæ ueritatis gratia, ut fecere Paulus, Hyeronimus, Scotus, & ut solet assiduò fieri inter Doctores, & Patres. Et ut petam exépla ab ipso D. Tho. de quo agimus, legatur idem articulus supracitatus, ubi Angelicus Doctor examinans, an

liceat

liceat in diuinis adhibere nomen differentiæ, ait *ad euitandum igitur errorem Arrii, vitare debemus in diuinis nomen diuersitatis, & differentiæ, nè tollatur vnitas essentiæ*. Quare D. Thomas non admittit, quòd una Persona in diuinis ab alia differat; & tamen hoc est apertè contrà Damascenum, ab ipso relatum, in responsione ad secundum, in eodem articulo, qui lib. 3. orthod. fid. c. 6. & 7. ait, *quòd non differunt ab inuicem hypostases secundùm substantiam, sed secundùm determinatas proprietates*. Sicut ergo ibi distinguitur hic terminus ab Angelico Doctore, & in vno sēsu reijcitur, & in alio admittitur; Ita & posset alius ab illo recedere, eius verba cōgruēter īterpretādo, ita vt in vno sēsu admittātur, & in alio reijciātur. Quare possemus dicere, quòd ly *vnicus* si referatur ad personas, est impiū; si ad essentiā, est catholicum.

His positis, sit conclusio. *Non solùm non est hæreticum dicere, Deum esse vnicū, sed hoc est maximè catholicum, vtpote consonum doctrinæ Romanæ Ecclesiæ, quā omnes vt magistram, & fidei petram venerari debemus, immò non potest nunc oppositum doceri, absque nota, saltem teme-*

ritatis. Dixi *nunc*, nè uidelicet videar comprehendere Diuum Hilarium, & D.Thomam, quos nō minus ſanctitate, quàm ſapiētia planè diuina, vt eximios, & præcellentes doctores ſemper colui, & ſuſpexi. Probatur igitur aſſertum, cōtrà modernos aliquot Ariſtarcos primò. Illa doctrina eſt catholica, quæ traditur ab Eccleſia catholica, & ab ipſa catholicæ fidei petra, & magiſtra Roma. Sed hæc doctrina eſt huiuſmodi. Ergo eſt catholica. Maior eſt euidens, alioquin neque ipſa Euangelia eſſent catholica. Conſequentia tenet in *Darii*. Sola ergo eſt probanda minor. Hæc autem ita probatur. Siqua eſt doctrina, quæ immediatè tradatur ab Eccleſia Romana, maximè eſt ea, quæ continetur in Miſſali, & breuiario Romanis, in quibus nulli hominum licet, vſquam locorum, ſeu gentium, nè vnam quidem ſyllabam immutare. Ergo totum illud, quod continetur his libris, maximè cōſonat cum Romana doctrina, immo eſt ipſa Romana doctrina. Sed in breuiario Deus vocatur trinus, & vnicus. Ergo hoc dicere, eſt dicere Romanam, apoſtolicam, & catholicam doctrinam.

Quòd

Quòd autem in breuiario dicatur Deus trinus, & vnicus, videatur hymnus ad laudes, in dedicatione Ecclesiæ, & inueniuntur hæc verba, quę tenentur omnes Sacerdotes, ex præcepto Sanctissimi, in Dei vnius laudem recitare statis celebritatis annuæ redeuntibus, tēporibus, iuxtà ritum singularum Ecclesiarum.

Omnis illa Deo sacra,
Et dilecta Ciuitas,
Plena modulis in laude,
Et canoro iubilo,
Trinum Deum, VNICVMQVE
Cum feruore prædicat,

In hymnis autem nouis, ex præcepto Sanctissimi. D. N. Vrbani Papæ octaui appositis in breuiarijs, ita legitur.

Sed illa sedes Cælitum
Semper resultat laudibus,
Deumque Trinum, & VNICVM
Iugi canore prædicat.

Quis ergo ex modernis, qui diuinum frequentet officium, & quotidie recitet psalmodiam, damnare poterit vt hæreticā hanc doctrinā, absque nota temeritatis? Quis audeat sacrilegis labris asserere, à Romano Pontifice, hoc est, ob vicariam numinis potestatem, altero in

terris

terris Deo, vniuersa consentiente Catholicorum republica, ad blasphemias euomendas, in Augustissimam Trinitatem, ad hæreses cum pijs precibus euoluendas, gentem sanctam, regale Sacerdotium, vniuersos religiosorum ordinum sanctissimos cætus, tot iam delabentibus annis, tot passim florentibus, sanctitate non minùs, quàm doctrina, præclarissimis viris, sub læthalis patrandi pœna sceleris, extimulari? Hæccine esset infallibilis illa, quam asseruunt, assistentia, illis verbis promissa Petro, & successoribus Luc. 22. 32. *Petre rogaui Patrem, vt non deficiat fides tua,* per quā omnes doctores vnanimiter prædicant, Romanum Pontificem, in rebus fidei, errare non posse, si illum in re tanti momenti, non solùm Deus errantem permitteret, sed insuper, vt lupum rapacem, oues omnes sibi commissas, intentata animę nece, in sui partē erroris, adducere compellentem foueret? Apagesis tam stulta cogitatio. Dumque Romanorum statuta Pontificium, Deū *vnicum* iubet ab omnibus proclamari, essentialem illius in triplici Suppositorum numero *vnicitatem*, taciti potiùs reue-

reuereamur acclines, quam erecto cucullo, eorum verba vt absona, temerè damnemus, vel saltem vt malè sonantia confidentiùs irrideamus.

Nè tamen videar, in re tã vberi, auctorum inopia laborare, auctoritati Pôtificiæ, quã solã omnibus præhabendã puto, ad Trinitatis defensionẽ, tres placet addere Pontificii nominis adoratores, e nobilissima, & præclarissima Societatis Iesu familia, Valentiam scilicet, Perez, & Pallauicinum, duos voce, scriptis alterũ præceptorẽ meum. Discant cæteri ex triplici isto Theologiæ Sole, vt debeant, de Deo optimo maximo philosophari, quosue terminos adhibere, ad explicandam nobis, ineffabilem augustissimæ Triadis vnitatem. Dúque me hæreticum vocant, quia Dẽũ voco *vnicum*, sciant se, sub meo nomine, temerariò ausu, hæresôs notam infligere, viris his doctrina conspicuis, ex quibus hausi terminôs, quos ipsi ignorant. Meminerint, se in huiusmodi censurã ideo temerè fuisse prolapsos, quia dum aliorum facta curiosiùs, immò malitiosiùs inuestigant, quas horas diuini officij recitare debebãt, distẽti alijs, omiserũt.

Gre-

Gregorius igitur de Valentia, auctor præstantissimus Societatis Iesu, nullo facto discrimine inter *vnum*, & *vnicum*, passim Deum uocat trinum, & *vnicum*. Videatur in primo tomo disp. 1. q. 11. puncto 2. vbi hęc habet *nunc autem Deũ verum, non nisi* vnicum *esse numero, aduersus hæreticos, absolutè probandum est.* Vbi aduertẽdum est ly *aduersus hæreticos*, nam putat hęreticum, dicere oppositum. Et nequis putet, errorem esse typographorum, idem paulò post repetit his uerbis *cum autem & Deus ipse se vnicum, ac solum Deum esse affirmet, & idem omnes alii testes diuini, quos adduximus, testentur &c.* Et infrà *intelligere necesse est, Deum verũ, vnicũ, ac solum esse.* Et inferiùs *Deum igitur secundũm rationem indiuiduam, vnicum, solum, ac singularem esse confitendum est.* Atque ita passim confundit *vnum* cum *vnico*.

P. Antonius Perez, quẽ supra toties, & sẽper, honoris gratia, nominauimus, & nominabimus infra, in tractatu de attributis diuinis, & Trinitate, nu. 174. ait *magnitudo autem diuina est vna, vt egregiè dixit D. Thomas, quia magnitudo, vt patet ex Aristotele, est ratio excedens, ratio.*

ratio autem excedendi in Deo est vnica, *scilicet essentia*. Et nu. 178. subdit apertiùs *mysterium Trinitatis non eneruat rationes, quibus demonstrauimus, Deum esse vnicum; Vnicitas enim* Dei(vbi notandū est hoc abstractum *vnicitas*, vt omninò hæreticum, & nouum damnatum ab aduersarijs) *Vnicitas enim* Dei *potissimùm probatur, vt supra vidimus, ex eo quòd, &c.* Et paulò inferiùs *Essentia trium personarum est* vnica, *sufficiens, & necessaria ad omne bonum. Quare cùm quælibet Persona sit illa* vnica *essentia diuina, quęlibet ratione essentiæ est sufficiēs ad omnia bona*, & nu. 185. *Deus verò est* vnicus, *& potens, &c.*

Hanc eamdē doctrinā amplectitur ingeniosissimus Pater Sfortia Pallauicinus lib.8. qui est de Deo trino, & vno, c. 7., vbi postquā demonstrauit existentiā Dei, sub notione primæ causæ, num. 59. trāsit ad demonstrandā vnicitatē illius, his verbis, *sequitur, vt demonstremus hāc primam causam esse* vnicam. Quòd si vnica, cùm ex quolibet concreto possit formari forma abstracta, & sic ex Petro Petreitas, ex Socrate Socrateitas, ex vno vnitas, &c. poterit etiam formari

ex concreto *vnicus*, eius forma abstracta *vnicitas*, vt de facto formauit P. Antonius Perez cum multis alijs.

Atque hi sufficiant, in materia tam clara, cùm multi alij possent adduci præstantissimi auctores, promiscuè nomen *vnici* Deo attribuentes, atq; *vnus*, & nullus, quem ego viderim, reiecerit nomen *vnici*, tamquam absonum, vel malè sonans in fide, præter vnicum Hilarium ex D. Thoma.

Probatur secúdò ratione, quia omne illud est vnicum, quod est vnum in se immultiplicabile. Sed Deus est vnùs in se immultiplicabilis. Ergo est vnicus. Probatur maior ex ipsis Hilario, & Thoma in locis citatis. Minor est de fide, si loquamur de diuina essentia, quã omnes dicunt, esse terminum singularẽ, & non communem logicè. Ergo uera est conclusio in *Darii*.

Dices, deitas per D. Hilarium in eodem loco, est pluribus communis. Ergo Deus non est terminus singularis, & per consequens cùm ly *vnicus* sonet singularitatem, non bene conuenit Deo.

Distinguo antecedens. Deitas est pluribus logicè cõmũnis, nego: est pluribus

ribus communis, metaphysicè, cōcedo antecedens; Et distinguo eodem modo consequens, Deus non est terminus logicè singularis, nego; metaphysicè, cōcedo cōsequentiā. Ad respōsionis intelligētiam, reuocandū est in memoriam, quod statuimus in logica lib. 2. d. 1. de Vniuersalibus. Ibi enim diximus, ad uniuersale logicum, inter alia prædicata, requiri multiplicabilitatem illius, quod est uniuersale, in illis, in quibus inest per identitatem, & de quibus est aptum prędicari, quod diximus non requiri ad uniuersale metaphysicum. Cùm ergo ita Deitas sit in pluribus personis, ut in illis nullo pacto multiplicetur, ut habemus ex symbolo Sancti Athanasij, non potest esse logicè uniuersalis, adeoque neque Deus esse terminus communis, sed solū metaphysicè, cui sufficit quòd sit unum per idētitatem in multis, præscindendo ab hoc, quòd in illis multiplicetur, uel non.

Probatur tertiò, quia Deo conuenit nomen *solius*, saltē sincathegorematicè, vt probat D. Tho. 1. p. q. 31. ar. 3. in corp. Ergo *vnici*. Consequentia tenet, nam *solus* dicitur ille, qui *excludit omne aliud*

sup-

suppositum à consortio prædicati, ut idem ibid. explicat. Sed hoc idem significat ly *vnicus*, qui ideo conceditur in simbolo fidei, & passim filio, & *in Iesum Christum filium eius vnicum*, quia ut D. Hilarius exponit in tali loco, *non sunt plures filii in diuinis*, idest suppositū filij excludit omne aliud Suppositum à consortio filiationis. Ergo cum Deus excludat omne aliud suppositum extra se, à consortio Deitatis, bene, & congruenter dicitur *vnicus*. Probatur antecedens primò ex prima ad Timoth. 1. *Regi sæculorum, immortali, inuisibili, soli Deo honor, & gloria*, quæ uerba quotidie recitantur ad primam horam, diebus festis. Et deinde ex Io. 17. *vt cognoscant te solum Deum verum*, quę uerba, quamuis proferantur à Christo Domino ad Patrem, non tamen possunt referri ad solam personam Patris, sed ad totam Sanctissimam Trinitatem, ut obseruat D. Tho. ibid. ar. 4. in respons. ad primū, his uerbis *cum dicimus te solum Deum verum, non intelligitur de persona Patris, sed de sola Trinitate, vt Augustinus exponit* tom. 3. lib. 6. de Trinit. c. 9.

Ad auctoritatē igitur D. D. Thomæ

&

& Hilarij initio huius articuli relatam, dupliciter respondeo, Primò distinguẽdo antecedens, uidelicet huiusmodi Sãctos Doctores negasse solùm, Deo conuenire nomen *vnici*, si hoc referatur ad Personas, nè uideamur sentire cum Sabellio, non autem si referatur ad essentiam, quę cùm ratione sui formaliter sit in se simplicissima, uerè dicitur unica, propter rationes hucusque datas. Secũdò respondeo. Transeat antecedens. Esto. Hæc fuerit opinio horum Doctorum. Ergo contraria est hæretica, nego consequentiam, cùm multa sint, in quibus Doctores sibi inuicem aduersãtur, ut supra innui, & infra fusiùs probabo.

Ex dictis triplex de nouo oritur difficultas. Prima est contra ea, quæ diximus initio primi articuli, ubi multos hæreticos, & præcipue Manichæos recensuimus, admittentes pluralitatem Deorum, quod uidetur repugnare ijs, quæ alibi diximus, cùm potiùs huiusmodi homines, iuxta nostrã doctrinã, essent inter Æthnicos recensendi. Secũda est, durum uideri multis, quòd priuatus doctor, in rebus fidei, & in modo loquendi, recedat ab Ecclesiæ Doctoribus,

bus, quibus nefas est contradicere. Tertia est, huiusmodi noua uocabula, saltē ratione inordinatę prolationis, ex dicto Diui Hyeronimi, secum hæresim trahere; adeoque nobis ab illis esse cauēdum. Quare ut harum oppositionum futilitas pateat, singulas distinctis conclusionibus, apposité diluemus. Hìc tamen solùm agemus de primis duabus, postremam ad finem libri tertij transferimus, tanquam ad propriūm locum.

ARTICVLVS TERTIVS

An possit coniungi hæresis formaliter cum apostasia, seu idololātria? Vbi an qui plures colat Deos, *totam negauerit fidem?*

Parergon Secundum.

DE hæresi agunt infiniti Doctores, & nihil est penes theologos tritius, quàm hæresim definire, eiusque à cæteris uitijs, & præcipuè ab idolatria, & apostasia differentiam afferre. Nos, cęteris omissis in pręsentia, sola utemur summa Toleti, inter Doctores eximij, nè

nè uideamur uel ab illo recedere, quem citauimus alibi, uel eius parui facere auctoritatem, quam alias ut fundamẽtum attulimus nostri dicti. Toletus igitur ita definit hæresim lib 4. c. 3. toties citato *Error pertinax hominis Christiani, ex parte contrarius fidei catholicę.* Ex qua definitione patet, per hunc auctorem, quinque esse necessaria ad formalem hæresis constitutionem. Hæc autem sũt *error, hominis Christiani, cum pertinacia, & oppositione catholicæ fidei, nõ secundùm totum, sed solùm secundum partem.* Quare si unum ex his desit, non erit formaliter hęresis. Et ideo Alexander de Ales tria, inquit, faciunt perfectam hæresim in baptizato, scilicet falsa credulitas, (subintellige in rebus fidei) peruersa uoluntas, & pertinax defensio. Quare oritur hæresis (ut acutè obseruat Petrus de Tarantasia) in intellectu, & adolescit in uoluntate, ut uidelicet, iuxtà Diuum Hilarium, prius inficiat mẽtem errore, deinde cor complacentia peruersitatis, & tandem os uerborum contumacia, adeoque totum coinquinet hominem.

Apostasiã ita definit idẽ auctor capite. 6. eiusdẽ libri *error hominis Christiani*

fidei

fidei catholicæ,ex toto contrarius; omittit hic pertinaciam, non quia illa non sit de essentia apostasiæ, sed quia illam supponit ex definitione hæresis, à qua solùm hanc ait differre per ly *ex toto*, cùm in cæteris planè conueniant.

Vnde patet primò, malam esse definitionem hæresis allatam ab Ochamo in dialog.lib.2.p.1.c.6.quam amplexus fuerat ut bonam Gabriel in 4.d.14.q. 2. *hæresis est dogma falsum fidei contrarium orthodoxæ*, propter defectum secundæ particulæ, ut obseruat Turrecrem. in tract.de pot.Papæ lib.4.c.3.; alioquin omnis æthnicus,& Iudæus esset hæreticus. Quæ definitio neque sufficienter castigatur ab ipso Turrecrem. in loco citato,per additionē illius particulæ, *in eo qui Christianam fidem professus est*, ut fusè prosequitur Albertinus dicta quęst.1.de agnosc.hæret.Ratio est,quia potest quilibet Christianus in errorem induci,contra aliquam fidei ueritatem, de qua sibi non constet,non tamen erit hæreticus, nisi post definitionem Ecclesiæ,pertinaciter in eo perseuerauerit. Et ideo celebre est illud Augustini dictum, in libro contra Academicos

errare

errare potero, sed hæreticus non ero. Et idem ait ep. 162. in p. tom. & habetur in decret. 24. quæst. 3. c. dixit Apostolus. *Si qui sententiam suam, quamuis falsam, atque peruersam, nulla pertinaci animositate defendunt, quærunt autem tota sollicitudine veritatem, corrigi parati, cùm inuenerint, nequaquam sunt inter hæreticos deputandi.* Rationem affert D. Tho. 2. 2. q. 11. ar. 2. in respons. ad 3. *quia scilicet hi non habent electionem contradicentem Ecclesiæ doctrinæ.* Quare non solùm sunt necessariæ primæ particulæ *error hominis Christiani, contrarius ex parte, veritati catholicæ,* sed præterea requiritur *pertinacia;* quæ omnia si concurrant, faciunt perfectam hæresim. Non tamen proinde illam habens esset illicò vt hæreticus euitandus, nisi accederet damnatio Ecclesiæ, vt habetur in c. fideli de summa Trin. & fide Cath. lib. 6.

Patet secundò, hæresim, & apostasiã se habere ad inuicem, vt totum & partem, quatenus videlicet Apostata recedit à tota fide, & hæreticus tantùm ab eius parte. Sicut ergo omnis pars includitur in toto, ita omnis hæresis includitur in apostasia, nec ab illa distinguitur,

nisi distinctione includentis ab incluso, quæ est solùm inadæquata. Et hæc est ratio, quare idem sit procedēdi modus contra apostatas, sicut cōtra hęreticos, vt in c. contra Christianos de hæret. lib. 6. Non tamen valet oppositum, quòd omnis apostasia sit hæresis, eo quòd sicut totum non est vna solùm pars, sed complexum ex omnibus, ita apostasia, quæ habet rationem totius respectu hęresis, non est recessus ab aliqua tantū parte catholicę fidei, sed à tota fide; qui recessus habetur formaliter per hoc, quòd non credatur articulis fidei. Posito enim, quòd fides sit vnicum illud vinculum, quo omnes fideles, ceu membra, vniuntur in vnum, idemque mysticum corpus, cuius caput est Christus, si hæc fides tollatur ab aliquo, iam ille vt putridum membrum, per ablationem vnionis, à reliquo corpore resecatur; & per cōsequēs quia hæc separatio fit ab illo liberè, & non coactè, per volitam liberè incredulitatem, dicitur illius non abstractio, sed recessus à fide, sicut libera fidei electio dicitur accessus, iuxta illud ad Heb. 11. *Accedentem ad Deum oportet credere, quòd est &c.* Et ideo ait

Du-

Durandus in 4.dist.14.q.5. *hæresis stri-ctiùs sumitur apud Theologos prò errore, quo aliquis diuiditur, seu discedit à virtute fidei, quantũ ad aliquem articulum, quia congregatio Ecclesiæ catholicæ primò est per vnitatem fidei; ideò recessus à fide per errorem contrarium, hæresis vocatur, & hæreticus dicitur ille, qui in vnitate fidei fuit, saltem in susceptione baptismi, qui dicitur sacramentum fidei, & ab hac vnitate recedit inhærens contrario errori.* Hoc posito, tria in disputationem vocabo. Primũ est, an Christianus, qui negauerit totã fidẽ, sit formaliter hęreticus? Secũdũ an qui plures admiserit Deos, negauerit totam fidem? Et tertiũ, an Manichæi admiserint plures Deos? Verùm hìc agemus tantùm de primis duobus, & de tertio in art. sequenti.

Prima conclusio. *Qui totam Christi fidem negauit, quamuis sit baptizatus, propriè, & formaliter non est hæreticus, sed solùm impropriè, & virtualiter.* Probatur prima pars primò, ex Toleti definitionibus supra relatis; In quarum explicationibus ad verbum *ex parte*, hæc ille subdit dicto c. 3. lib. 4. *Dupliciter potest quis errare in fide, aut negando totam fidẽ*

Christi, & hoc non est hæresis, sed apostasia, vel infidelitas; aut negando aliquam, aut aliquas veritates fidei Christianæ, & hæc est hæresis. Item ex D.Tho. 2. 2. q. 11. ar. 1. in corpore, vbi examinans, an hæresis sit species infidelitatis, hæc habet *à rectitudine fidei Christianæ dupliciter quis potest deuiare. Vno modo quia ipse Christo non vult assentire* (ut cōtingit neganti totam eius fidē) *& hic habet quasi malam voluntatem circa ipsum finem, & hoc pertinet ad speciem infidelitatis Paganorum, & Iudæorum. Alio modo per hoc quòd intendit quidem Christo assentire, sed deficit in eligendo ea, quibus Christo assentiat* (ut cōtingit partē fidei negāti) *quia non eligit ea, quæ sunt uerè à Christo tradita, sed ea, quæ sibi propria mens suggerit*, & hoc ait pertinere ad hæresim formaliter. Et q. 12. ar. 1. in corpore, ait *simpliciter, & absolutè est apostasia, per quam aliquis discedit à fide, quæ uocatur apostasia per fidem*, vt distingueretur ab apostasia per ordinem, vel per religionem. Quod idem antea docuerat q. 10. ar. 5. in corpore his verbis. *Cum peccatum infidelitatis consistat in renitendo fidei, hoc potest contingere tripliciter, quia aut reni-*

tatur

titur fidei nondum susceptæ, & talis infidelitas est Paganorum, siue Gentilium; aut renititur fidei Christianæ susceptæ, uel in figura, & sic est infidelitas Iudæorum; uel in ipsa manifestatione ueritatis, & sic est infidelitas hæreticorum. Et ideo antiqui Patres numquam Iulianum vocarunt hæreticum, sed apostatam, *quia* (vt ait Arriaga ab ipsomet citatus Aduersario disp.19.de fide, sect.3.n. 32.) *ex integro a fide recessit; Contrà uerò Constantium, quia fidem in Christum retinuit, admixtis erroribus, uocauerũt hæreticum*. Præterea ex Albertino quæst. 2. de agnoscendis hæreticis n. 2. vbi hæc habet. *Qui sic à fide Christi recedit, quòd nihil de ea credit, adeoque à Christi nomine, & eius ueritate recedit, propriè non est hæreticus, sed apostata, quasi omninò recedens à consortio Christianorum. Vnde tales, qui nihil tenent de Christi doctrina, nec gaudent, nec uolunt esse sub nomine Christiano, propriè hæretici non sunt, quia ut dixit Greg. 8. moral. c. 25. ore cur eosdem Patres, quos ueneramur, laudant, sed intellectu deprauato ipsi nos eorum laudibus impugnant?*

Probatur demũ ratione à priori, quia nullus apostata est formaliter hęreticus, sicut

uerterunt quidem, vel potius noluerunt aduertere Aduersarij. Et ratio à priori est (& erit secunda probatio) quia omnis pars includitur in toto. Cùm ergo hæresis habeat rationem partis, saltem ratione obiecti materialis, respectu apostasiæ, includitur in illa formaliter; Est enim impossibile, quòd aliquis baptizatus recedat à tota fide, quin etiam recedat ab aliqua eius parte. Quatenùs ergo apostasia complectitur, saltem ratione obiecti materialis, & virtualiter, omnes hæreses, potest etiam aliquando minùs propriè hæreticum aliquem denominare. Dixi *saltem uirtualiter* (& erit cõfirmatio eorum, quæ diximus ad probandam primam conclusionis partem) quia propriè, & rigorosè obiectũ formale apostasiæ, est omnino diuersũ ab obiecto formali cuiuscũque hæresis. Ergo apostasia nullã includit hęresim, & sunt vitia omninò diuersa. Probatur antecedens, nam omnis apostata *habet quasi malam voluntatem circà ipsum finẽ, eo quòd Christo nolit assentiri*, vt ait D. Tho. 2. 2. q. 11. ar. 1. in corpore. Hæreticus autem (vt idem ibidem asserit) *deficit solùm in eligendo ea, quibus Christo assentiat.*

sentiat, cui intendit assentire, circa quem non habet malam voluntatem. Sed intendere assentire Christo, & intendere nō assentire Christo, sunt formaliter omninò opposita. Ergo obiecta formalia hæresis, & apostasiæ sunt non solùm diuersa, sed opposita.

Ex dictis patet, non posse formaliter aliquem esse simul hæreticum, & apostatam, seu idololatram, alioquin simul & semel nullam crederet de fide catholica veritatem, quod fit per apostasiam, & aliquam crederet de illa veritatem, quod fit per hæresim, quæ sunt formaliter contradictoria.

Secunda conclusio. *Quicumque plures admisit Deos, totam simul Christi negasse fidem necesse est*. Probatur primò ex dictis, quia non potest aliquis esse simul hæreticus, & apostata. Ergo à fortiori neque simul hæreticus, & idololatra, seu gentilis. Probatur consequentia, quia infidelitas est maius peccatum, quàm apostasia, vt probat D. Tho. 2. 2. q. 1 2. ar. 3. in corpore his verbis, *quia per infidelitatis peccatum homines magis à Deo separantur, quàm per cetera; ideo grauissimi in eorum peccatorum est, quæ con-*

bus, quibus nefas est contradicere. Tertia est, huiusmodi noua uocabula, saltē ratione inordinatę prolationis, ex dicto Diui Hyeronimi, secum hæresim trahere; adeoque nobis ab illis esse cauēdum. Quare ut harum oppositionum futilitas pateat, singulas distinctis conclusionibus, apposité diluemus. Hic tamen solùm agemus de primis duabus, postremam ad finem libri tertij transferimus, tanquam ad proprium locum.

ARTICVLVS TERTIVS

An possit coniungi hæresis formaliter cum apostasia, seu idololatria? Vbi an qui plures colat Deos, *totam negauerit fidem?*

Parergon Secundum.

DE hæresi agunt infiniti Doctores, & nihil est penes theologos tritius, quàm hæresim definire, eiusque à cæteris uitijs, & præcipuè ab idolatria, & apostasia differentiam afferre. Nos, ceteris omissis in pręsentia, sola utemur summa Toleti, inter Doctores eximij, nè

nè uideamur uel ab illo recedere, quem citauimus alibi, uel eius parui facere auctoritatem, quam alias ut fundamētum attulimus nostri dicti. Toletus igitur ita definit hæresim lib 4. c. 3. toties citato *Error pertinax hominis Christiani, ex parte contrarius fidei catholicę*. Ex qua definitione patet, per hunc auctorem, quinque esse necessaria ad formalem hæresis constitutionem. Hæc autem sūt *error, hominis Christiani, cum pertinacia, & oppositione catholicæ fidei, nō secundùm totum, sed solùm secundùm partem*. Quare si unum ex his desit, non erit formaliter heresis. Et ideo Alexander de Ales tria, inquit, faciunt perfectam hæresim in baptizato, scilicet falsa credulitas, (subintellige in rebus fidei) peruersa uoluntas, & pertinax defensio. Quare oritur hæresis (ut acutè obseruat Petrus de Tarantasia) in intellectu, & adolescit in uoluntate, ut uidelicet, iuxtà Diuum Hilarium, prius inficiat mētem errore, deinde cor complacentia peruersitatis, & tandem os uerborum contumacia, adeoque totum coinquinet hominem.

Apostasiā ita definit idē auctor capite. 6. eiusdē libri *error hominis Christiani fidei*

fidei catholicæ, ex toto contrarius; omittit hìc pertinaciam, non quia illa non sit de essentia apostasiæ, sed quia illam supponit ex definitione hæresis, à qua solùm hanc ait differre per ly *ex toto*, cùm in cæteris planè conueniant.

Vnde patet primò, malam esse definitionem hæresis allatam ab Ochamo in dialog.lib.2.p.1.c.6.quam amplexus fuerat ut bonam Gabriel in 4.d.14.q. 2. *hæresis est dogma falsum fidei contrarium orthodoxæ*, propter defectum secundæ particulæ, ut obseruat Turrecrem. in tract.de pot.Papæ lib.4.c.3.; alioquin omnis æthnicus, & Iudæus esset hæreticus. Quæ definitio neque sufficienter castigatur ab ipso Turrecrem. in loco citato, per additionē illius particulæ, *in eo qui Christianam fidem professus est*, ut fusè prosequitur Albertinus dicta quęst.1.de agnosc.hæret. Ratio est, quia potest quilibet Christianus in errorem induci, contra aliquam fidei ueritatem, de qua sibi non constet, non tamen erit hæreticus, nisi post definitionem Ecclesiæ, pertinaciter in eo perseuerauerit. Et ideo celebre est illud Augustini dictum, in libro contra Academicos

errare

errare potero, sed hæreticus non ero. Et idem ait ep. 162. in p. tom. & habetur in decret. 24. quæst. 3. c. dixit Apostolus. *Si qui sententiam suam, quamuis falsam, atque peruersam, nulla pertinaci animositate defendunt, quærunt autem tota sollicitudine veritatem, corrigi parati, cùm inuenerint, nequaquam sunt inter hæreticos deputandi.* Rationem affert D. Tho. 2. 2. q. 11. ar. 2. in respons. ad 3. *quia scilicet hi non habent electionem contradicentem Ecclesiæ doctrinæ.* Quare non solùm sunt necessariæ primæ particulæ *error hominis Christiani, contrarius ex parte, veritati catholicæ,* sed præterea requiritur *pertinacia;* quæ omnia si concurrant, faciunt perfectam hæresim. Non tamen proinde illam habens esset illicò vt hæreticus euitandus, nisi accederet damnatio Ecclesiæ, vt habetur in c. fideli de summa Trin. & fide Cath. lib. 6.

Patet secundò, hæresim, & apostosiã se habere ad inuicem, vt totum & partem, quatenus videlicet Apostata recedit à tota fide, & hæreticus tantùm ab eius parte. Sicut ergo omnis pars includitur in toto, ita omnis hæresis includitur in apostasia, nec ab illa distinguitur,

 nisi

nisi distinctione includentis ab incluso, quæ est solùm inadæquata. Et hæc est ratio, quare idem sit procedēdi modus contra apostatas, sicut cōtra hereticos, vt in c. contra Christianos de hæret. lib. 6. Non tamen valet oppositum, quòd omnis apostasia sit hæresis, eo quòd sicut totum non est vna solùm pars, sed complexum ex omnibus, ita apostasia, quæ habet rationem totius respectu hęresis, non est recessus ab aliqua tantū parte catholicę fidei, sed à tota fide; qui recessus habetur formaliter per hoc, quòd non credatur articulis fidei. Posito enim, quòd fides sit vnicum illud vinculum, quo omnes fideles, ceu membra, vniuntur in vnum, idemque mysticum corpus, cuius caput est Christus, si hæc fides tollatur ab aliquo, iam ille vt putridum membrum, per ablationem vnionis, à reliquo corpore resecatur; & per cōsequēs quia hæc separatio fit ab illo liberè, & non coactè, per volitam liberè incredulitatem, dicitur illius non abstractio, sed recessus à fide, sicut libera fidei electio dicitur accessus, iuxta illud ad Heb. 11. *Accedentem ad Deum oportet credere, quòd est &c.* Et ideo ait

Du-

Durandus in 4. dist. 14. q. 5. *hæresis strictiùs sumitur apud Theologos pro errore, quo aliquis diuiditur, seu discedit à virtute fidei, quantũ ad aliquem articulum, quia congregatio Ecclesiæ catholicæ primò est per vnitatem fidei; ideò recessus à fide per errorem contrarium, hæresis vocatur, & hæreticus dicitur ille, qui in vnitate fidei fuit, saltem in susceptione baptismi, qui dicitur sacramentum fidei, & ab hac vnitate recedit inhærens contrario errori.* Hoc posito, tria in disputationem vocabo. Primũ est, an Christianus, qui negauerit totã fidẽ, sit formaliter hæreticus? Secũdũ an qui plures admiserit Deos, negauerit totam fidem? Et tertiũ, an Manichæi admiserint plures Deos? Verùm hìc agemus tantùm de primis duobus, & de tertio in art. sequenti.

Prima conclusio. *Qui totam Christi fidem negauit, quamuis sit baptizatus, propriè, & formaliter non est hæreticus, sed solùm impropriè, & virtualiter.* Probatur prima pars primò, ex Toleti definitionibus supra relatis; In quarum explicationibus ad verbum *ex parte*, hæc ille subdit dicto c. 3. lib. 4. *Dupliciter potest quis errare in fide, aut negando totam fidẽ*

Christi, & hoc non est hæresis, sed apostasia, vel infidelitas; aut negando aliquam, aut aliquas veritates fidei Christianæ, & hæc est hæresis. Item ex D.Tho. 2. 2. q. 11. ar. 1. in corpore, vbi examinans, an hæresis sit species infidelitatis, hæc habet *à rectitudine fidei Christianæ dupliciter quis potest deuiare. Vno modo quia ipse Christo non vult assentire* (ut cõtingit neganti totam eius fidẽ) *& hic habet quasi malam voluntatem circa ipsum finem, & hoc pertinet ad speciem infidelitatis Paganorum, & Iudæorum. Alio modo per hoc quòd intendit quidem Christo assentire, sed deficit in eligendo ea, quibus Christo assentiat* (ut cõtingit partẽ fidei negãti) *quia non eligit ea, quæ sunt uerè à Christo tradita, sed ea, quæ sibi propria mens suggerit*, & hoc ait pertinere ad hæresim formaliter. Et q. 12. ar. 1. in corpore, ait *simpliciter, & absolutè est apostasia, per quam aliquis discedit à fide, quæ uocatur apostasia per fidem*, vt distingueretur ab apostasia per ordinem, vel per religionem. Quod idem antea docuerat q. 10. ar. 5. in corpore his verbis. *Cum peccatum infidelitatis consistat in renitendo fidei, hoc potest contingere tripliciter, quia aut reni-*

titur fidei nondum susceptæ, & talis infidelitas est Paganorum, siue Gentilium; aut renititur fidei Christianæ susceptæ, uel in figura, & sic est infidelitas Iudæorum; uel in ipsa manifestatione ueritatis, & sic est infidelitas hæreticorum. Et ideo antiqui Patres numquam Iulianum vocarunt hæreticum, sed apostatam, *quia* (vt ait Arriaga ab ipsomet citatus Aduersario disp.19.de fide, sect.3.n.32.) *ex integro a fide recessit; Contrà uerò Constantium, quia fidem in Christum retinuit, admixtis erroribus, uocauerũt hæreticum*. Præterea ex Albertino quæst. 2. de agnoscendis hæreticis n. 2. vbi hæc habet. *Qui sic à fide Christi recedit, quòd nihil de ea credit, adeoque à Christi nomine, & eius ueritate recedit, propriè non est hæreticus, sed apostata, quasi omninò recedens à consortio Christianorum. Vnde tales, qui nihil tenent de Christi doctrina, nec gaudent, nec uolunt esse sub nomine Christiano, propriè hæretici non sunt, quia ut dixit Greg. 8. moral. c. 25. ore cur eosdem Patres, quos ueneramur, laudant, sed intellectu deprauato ipsi nos eorum laudibus impugnant?*

Probatur demũ ratione à priori, quia nullus apostata est formaliter hæreticus,

ſicut totum non eſt formaliter pars. Sed qui relinquit totam fidem, eſt formaliter apoſtata, vt patet ex eius definitione. Ergo non eſt formaliter hæreticus. Concluſio eſt euidens in *Cælarent*. Minor patet ex dictis. Maior probatur, quia eſt impoſſibile, quòd idem peccatum ſit reſpectu eiuſdem maius, & minus. Sed apoſtaſia eſt maius peccatum, quàm hæreſis, vt habetur apertè ex Albertino q. 2. de agnoſc hæret. n. 3. his verbis *apoſtata grauiùs peccat, quàm hæreticus, & grauiùs eſt puniendus, ſi grauiùs puniri poſſet*; Ex Toleto lib. 4. c. 6. nu. 1. *Vnde apparet, eſſe grauius* (loquendo de apoſtaſia) *crimen, & peccatum, quàm ſit hæreſis*. Et ex D. Tho. in locis citatis ex 2. 2. q. 11. & 12., & cõmuniter ex omnibus. Ergo non ſunt vnum, & idem peccatum, ſed duo ſpecie diuerſa. Eſt autẽ impoſſibile, quòd ex diuerſa ratione formali reſultet idem effectus formalis, & eadem denominatio. Ergo quicũque totam relinquit fidem, cùm formaliter incurrat apoſtaſiam, non poteſt formaliter hæreticus denominari, ſed ſolùm apoſtata, ſi velimus loqui in rigore ſcholaſtico. Et ideo diuerſus eſt titulus

de

de hæreticis, & titulus *de apostatis* in iure canonico, quia diuersorum specie criminum est diuersa tractatio.

Probatur tertio à pari, quia sicut qui accedit ad virginem, patrat solum stuprum formaliter, & in rigore scholastico, & non fornicationem simplicem, & stuprum, quæ sunt duo diuersa specie peccata, quamuis vnum includatur in alio virtualiter; Idem dicendum de apostasia, & hæresi.

Probatur secunda conclusionis pars, quòd videlicet baptizatus, totam relinquens fidem, possit largè, & virtualiter vocari hæreticus, Primò ex Albertino loco nuper citato, vbi hæc habet *Qui sic à fide Christi recedit, quòd nihil de ea credit, &c. propriè non est hæreticus, sed apostata, &c. Et signanter dicit propriè, quia largè accipiendo, etiam apostata dici posset hæreticus.* Et ideo in apologia dictum fuit, negantes totam fidem non posse formaliter dici hæreticos, sed solum virtualiter, & reductiuè, quatenus videlicet pars continetur in toto, in quo sensu etiam Apostatæ, & infideles vocãtur hæretici, quam doctrinam verissimam non solùm non impugnarunt, sed nè ad-

uerterunt quidem, vel potius noluerunt aduertere Aduersarij. Et ratio à priori est (& erit secunda probatio) quia omnis pars includitur in toto. Cùm ergo hæresis habeat rationem partis, saltem ratione obiecti materialis, respectu apostasiæ, includitur in illa formaliter; Est enim impossibile, quòd aliquis baptizatus recedat à tota fide, quin etiam recedat ab aliqua eius parte. Quatenùs ergo apostasia complectitur, saltem ratione obiecti materialis, & virtualiter, omnes hæreses, potest etiam aliquando minùs propriè hæreticum aliquem denominare. Dixi *saltem virtualiter* (& erit cõfirmatio eorum, quæ diximus ad probandam primam conclusionis partem) quia propriè, & rigorosè obiectũ formale apostasiæ, est omnino diuersũ ab obiecto formali cuiuscũque hæresis. Ergo apostasia nullã includit hęresim, & sunt vitia omnino diuersa. Probatur antecedens, nam omnis apostata *habet quasi malam voluntatem circà ipsum finẽ, eo quòd Christo nolit assentiri*, vt ait D. Tho. 2. 2. q. 11. ar. 1. in corpore. Hæreticus autem (vt idem ibidem asserit) *deficit solùm in eligendo ea, quibus Christo assentiat*.

sentiat, cui intendit assentire, circa quem non habet malam voluntatem. Sed intendere assentire Christo, & intendere nō assentire Christo, sunt formaliter omninò opposita. Ergo obiecta formalia hæresis, & apostasiæ sunt non solùm diuersa, sed opposita.

Ex dictis patet, non posse formaliter aliquem esse simul hæreticum, & apostatam, seu idololatram, alioquin simul & semel nullam crederet de fide catholica veritatem, quod fit per apostasiam, & aliquam crederet de illa veritatem, quod fit per hæresim, quæ sunt formaliter contradictoria.

Secunda conclusio. *Quicumque plures admisit Deos, totam simul Christi negasse fidem necesse est*. Probatur primò ex dictis, quia non potest aliquis esse simul hæreticus, & apostata. Ergo à fortiori neque simul hæreticus, & idololatra, seu gentilis. Probatur consequentia, quia infidelitas est maius peccatum, quàm apostasia, vt probat D. Tho. 2. 2. q. 10. ar. 3. in corpore his verbis, *quia per infidelitatis peccatum homines magis à Deo separantur, quàm per cetera; ideo grauissimi m eorum peccatorum est, quæ con-*

tingant in morum peruersitate. Et ideo in quæst. 12. ar. 1. ait, apostasiam reduci tanquam speciem, ad infidelitatem, ad quã cen alteram speciem, reduxit etiam heresim q. 11. ar. 1. Ergo infidelitas magis à Deo separat, quàm apostasia. Ergo sicut qui cadit in hæresim, cessat esse catholicus, & fit formaliter hæreticus; Et qui cadit in apostasiam, cessat esse hæreticus, & fit formaliter apostata; Ita qui labitur in infidelitatem, cessat esse apostata, & fit formaliter infidelis, semper ad peiora peccata gradum faciendo. Sed omnis infidelitas opponitur toti fidei. Loquor autem hìc de infidelitate positiua peccaminosa, quæ (vt explicat D. Tho. q. 10. ar. 1.) habetur formaliter per *contrarietatem ad fidem, qua scilicet aliquis repugnat auditui fidei, vel etiã illam contemnit, secundùm illud Isaiæ 53. quis credidit auditui nostro?* Ergo quicunque incidit in infidelitatem, totã Christi negauit fidem. Sed quicunque admittit plures Deos, incidit in infidelitatem. Ergo totam Christi negauit fidem.

Probatur secundò, quia quicumque plures colit Deos, tollit fundamentum totius Christianæ fidei, quod est vnitas

Dei.

Dei. Sed ablato fundamento, tota perit fides. Ergo qui plures colit Deos, totã corrupit, & negauit fidem. Et ideo D. Tho. q. 10. ar. 6. examinans, an hæreticorum infidelitas sit deterior Iudæorum, & Paganorum infidelitate, concludit affirmatiuè. Rationem affert in corpore his verbis, *Duo possunt considerari in infidelitate, quorum vnum est comparatio eius ad fidem; Et ex hac parte aliquis grauius cõtrà fidem peccat, qui fidei renititur susceptæ* (puta negando Numinis vnitatem) *quàm qui renititur fidei nondùm susceptæ, sicut grauius peccat qui non implet quod promisit, quàm si non impleat quod numquam promisit. Et secundùm hoc infidelitas hæreticorum, qui profitentur fidem Euangelii, & ei renituntur, eam corrumpentes, grauiùs peccant, quàm infidelitas Gentilium, & Iudæorum.*

Dices primò. Qui negat vnam tãtùm ex veritatibus fidei, est formaliter hæreticus. Sed qui plures admittit Deos, vnam tantùm negat fidei veritatem. Ergo est formaliter hæreticus. Maior patet ex definitione hæresis. Consequentia est euidens. Minor probatur, quia qui negat solam vnitatem Dei,

non negat eius Trinitatem, Incarnationem Verbi, &c. Ergo non negat totam fidem.

Præterea poli fundamentales fidei per te sunt vnitas, & Trinitas Dei ex vna parte; Verbi incarnatio mors, & resurrectio Christi ex alia. Tum sic. Ad hoc vt aliquis fiat gentilis, vel hi poli debēt accipi collectiuè, vel disiunctiuè? Si primum. Ergo qui solam Dei negauit vnitatem, nulla habita cognitione Trinitatis, neque Incarnationis, &c. non poterit dici Gentilis, & Paganus, quia non negauit fundamentum fidei. Si secundùm; ergo qui solam negauit Incarnationē, vel Trinitatem, non erit formaliter hæreticus, sed Gentilis, quia negauit fundamentum fidei. Vtrumque autem est falsum, primò, quia Manichæi, &c. negarunt solam vnitatem Dei, & fuerūt verè hæretici; quod idem accidit Caluino, alijsque negantibus solam Trinitatē. Et deinde quia nullus Gentiliū cognouit, immò neq; potuit viribus naturę cognoscere Trinitatem, vt probat D. Tho. 2. 2. q. 2. ar. 8. & tamen fuere formaliter Gentiles, per solam negationē diuinæ vnitatis. Ergo falsa est hæc doctrina.

Ad

Ad primum primò nego minorem. Sicut enim qui non credit Trinitatem, neque potest credere Incarnationem, quæ illam formaliter includit; Ita qui non credit vnitatem Dei, neque potest admittere Trinitatē. Probo consequentiam, quia mysterium ineffabile Trinitatis consistit formaliter in hoc, quòd vna, eademque natura diuina subsistat in triplici supposito. Ergo supponit Deitatis vnitatem, alioquin non esset Trinitas Personarum, sed Deorum. Hoc posito, dico, non posse negari vnitatem Dei, quin simul cum illa negentur omnia ea, quæ illam formaliter inuoluunt, cuiusmodi sunt Trinitas, Incarnatio, &c. sicut non potest negari de Petro ratio entis, quin negentur cum illa ratio corporis, substantiæ, viuentis, animalis, &c. Ratio à priori est, quia sicut ratio entis inuoluitur formaliter in omnibus inferioribus, ita & vnitas Dei inuoluitur formaliter in omnibus articulis fidei, qui sunt veluti inferiora respectu illius. Probatur assumptum, nam omnes articuli fidei sunt vel circa attributa Dei trini, & vnius; vel circa Incarnationem, mortem, & resurrectionem Christi Se-

natoris;

uatoris; vel circa ea, quæ de Christo vt futuro inuenimus in scripturis; vel quæ Christus condidit sacramenta, vt nobiscum versans; vel quę docuit, &c. Sed hęc omnia reducuntur vel ad Christũ Dominum, uel ad Deum. Ergo inuoluunt formaliter eiusdem vnitatem.

Secundò nego maiorem. Nam si aliquis neget solam existentiam Dei, quāuis per impossibile admitteret omnes alios articulos fidei, is censeretur formaliter atheus, & non hæreticus. Quare posset distingui illa maior (& erit tertia responsio) Qui negat vnam tantùm ex veritatibus fidei, est formaliter hæreticus, si loquamur de veritatibus primarijs, quæ per se sunt fidei obiectum, nego; Si de secundarijs, quæ solùm per accidens sunt fidei obiectum, cōcedo maiorem. Et distinguo minorē, qui negat solam vnitatem Dei, negat solùm vnā ex veritatibus primarijs, immò principalissimam totius fidei, concedo: negat vnam ex veritatibus secundarijs, nego minorem, & cum illa consequentiam. Ad intelligentiam respōsionis, aduerto ex D. Tho. 2. 2. q. 2. ar. 5; *determinationem actus virtuosi ad proprium, & per se obie-*

ctum

ctum virtutis, esse sub necessitate præcepti; sicut & ipsum virtutis actum: determinationem autem actus virtuosi ad ea, quæ accidentaliter, vel secundariò se habent, ad proprium, & per se virtutis obiectum, non cadere sub necessitate præcepti, nisi prò loco, & tempore. Quare cùm D. Paulus ep. ad Hebræos c. 11. determinauerit quæ cadũt, respectu omnium, sub necessitate pręcepti, videlicet *quòd Deus sit, & quòd inquirentibus eum remunerator sit*, quæ sola communiter cum D. Thoma dicũtur debere ab omnibus explicitè credi, patet etiam quæ sint obiecta primaria propria, & per se ipsius fidei, videlicet existentia Dei remuneratoris: Et ideo ait Angelicus in loco citato, *dicẽdum est quòd fidei obiectum per se est id, per quod homo beatus efficitur* (vt probauerat antea art. 3.) *Per accidẽs autẽ, aut secũdariò se habẽt ad obiectũ virtutis omnia, quæ in sacra scriptura diuinitùs tradita continentur, sicut quòd Abraham habuit duos filios &c. Quantùm ergo ad prima credibilia, quæ sunt articuli fidei, tenetur homo explicitè credere, sicut & tenetur habere fidem; Quantùm autem ad alia credibilia, non tenetur homo explicitè credere*. His positis,

tis, cùm obiectum primarium sit existentia Dei remuneratoris, & hæc debeat explicitè ab omnibus fidelibus credi, eo ipso quòd discredatur, seu negetur, incurritur formaliter infidelitas. Sed quicumque negat vnitatem Dei, negat eius existētiam, de cuius ratione formali est esse vnicum. Ergo quicūque negat vnitatem Dei, non negat illam solam, sed illam primariò, & explicitè, & omnes alios articulos implicitè, & secundariò; adeoque totam negat fidē.

Ad secundum respondeo, vnitatē, & Trinitatē Dei, Incarnationem, mortē, & resurrectionē Christi esse quidē polos fundamentales fidei, sed cū eo ordine, quo enumerantur, vt videlicet vnus præcedat aliū, & subsequens fūdetur in antecedenti. Nā Christi resurrectio fundatur in eius morte, & hæc in Incarnatione; Incarnatio autem in Trinitate; & Trinitas in Vnitate, quæ est omniū prima, & radix ceterorū. Sicut ergo fundamētū domus dicit multos lapides, unū suprà alium, qui omnes ut partes talis parietis, dicuntur inadæquatè fundare domum, non tamen omnes eam fundāt eodē modo, sed unus mediatiùs, & alter

imme-

immediatiùs, quoadusq; deueniatur ad omnium infimos, unde cępta est domus ædificari, qui dicuntur primi lapides, & propriè, & rigorosè sunt fundamẽtum domus, quia sunt primum illius initiũ, & fulcimentũ, & in ordine ad quos alij non habent rationem fundamenti, nisi impropriè; Idem dico de his articulis, qui quamuis respectu aliorum, ut principalissimi, lato quodam modo, uideantur habere rationem polorum, quibus tota Christi substernitur fides; tamen si ad inuicem comparentur, & rigorosè sumatur ratio fundamenti, quatenus uidelicet sonat id unum, cui tota innititur fides, hoc non conuenit, nisi Dei unitati, quæ sola tamquam omnium prima sustentat fidem.

Dices. Si hæc ratio ualeret, fidei fundamentum esset sola existentia Dei, quę primò credenda proponitur ad Heb. 11. *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est.* Ergo non esset eius unitas, quæ fundatur in existentia. Primò nego cõsequentiam, quia idem est *Deum existere*, atq; *esse vnũ*. Ergo quidquid dicitur de eius existentia, dicitur de eius unitate. Antecedens probatur a D. Tho. 1. p. q. 11.

q.11.ar.1.ubi ait, *unum non addere supra ens aliquod reale, sed solùm negationem divisionis.* Cùm ergo Deus sit sua essentia, seu sua natura, ut idem probat q.3. ar.3., & hęc sit maximè una, ut patet ex eodem q.11.ar.4., sequitur etiam, quòd Deus sit suum esse, seu existere, vt idem probat q.3.ar.4., & per consequens sua unitas. Hoc non ualet de Trinitate, quæ quamuis realiter sit idem cum essentia, ut idē probat q. 28. ar. 2., ab illa tamen distinguitur uirtualiter intrinsecè, ut nos probauimus in primo librô disp. 2. ar. 2., & admittitur ibid. à S. Tho. sub nomine distinctionis rationis, vt explicatur cōmuniter à Recentioribus. Quare Trinitas relationum superaddit essentiæ, non quidem aliquod reale, sicut per errorem asseruit Gilibertus Porretanus, sed tres formalitates uirtuales, realiter quidem inter sese distinctas, nō tamen realiter distinctas ab essentia, sed solùm uirtualiter intrinsecè. Et ideo nomine Dei existentis simpliciter, & absolutè prolati, prout credendus proponitur, intelligitur primò Deus ut unus, & deinde ut trinus.

Secundò transeat antecedēs, & nego con-

cõsequentiam. Nos enim hìc loquimur de unitate, comparata cum Trinitate, Incarnatione, alijsque articulis inde consequentibus, non autem de unitate comparata cum existentia. Quare quamuis concederetur, unitatem Dei non esse fundamentum fidei priùs existentia eiusdem, non tamen proinde sequeretur, non esse prius Trinitate, Incarnatione, &c. quibuscum fit comparatio, saltem prioritate secundùm subsistendi consequentiam.

Præterquamquod existentia Dei, utpote quæ euidenter probari potest, verè non est obiectum fidei, etiamsi concedatur esse obiectum distinctum ab unitate, n. si penès aliquem stultum potius, quàm atheum, iuxtà illud psal. 13. *dixit insipiens in corde suo non est Deus*, cui Dei non innotesceret existentia. Hoc autem expresè asseritur à D. Tho. p. p. q. 2. ar. 2. in respons. ad 1. his verbis *ad primum dicendum, quòd Deum esse, & alia huiusmodi, quæ per rationem naturalem nota possunt esse de Deo, ut dicitur Rom. 1. non sunt articuli fidei, sed præambula ad articulos. Sic enim fides præsupponit cognitionem naturalem, sicut gratia naturam.*

Neque

Neque obstat, quòd existentia Dei proponatur ab Apostolo ad Heb. 11. ut articulus fidei; Hoc enim fit primò, quia, ut prosequitur ibidem S. Doctor, *illud quod est secundùm se demonstrabile, & scibile, potest ab aliquo accipi vt credibile, qui demonstrationem non capit*. Et deinde quia *existentia Dei inter credenda numeratur, non quia de ipsa simpliciter sit fides apud omnes, sed quia praexigitur ad ea, quæ sunt fidei, & oportet eam, saltem per fidem, præsupponi ab his, qui huius demonstrationem non habent*, ut egregiè asserit S. Tho. 2. 2. q. 1. ar. 5. Ex quibus patet, existentiam Dei prærequiri ad omnes articulos fidei, sicut baptismus ad omnia sacramenta, cum hac tamen differētia, quòd baptismus sit primum inter sacramenta; At existentia Dei necessariò non est primum inter credibilia, cùm possit ipsa sciri, & non credi. Possemus ergo dicere ad uerba illa D. Pauli, quòd cum omnibus Gentilibus innotuerit existentia Dei, & non innotuerit unitas; Ideo Apostolus loco citato, præsupposita Dei existentia, tamquam omnibus obuia, & scita, & non credibili, eius tantùm proponit credē-

dam

dam unitatem à plerisque negatam, ut patet ex uerbis consequentibus, *& quod inquirentibus se, remunerator sit*, quę pluribus non conueniunt, sed uni tantùm.

Ex dictis patet solutio ad illam instantiam, an uidelicet hi articuli accipiantur collectiuè, uel distributiuè? Siquidem dico, cùm omnes non sint propriè, & rigorosè fidei fundamentum, sed solùm impropriè, per concomitantiam cum unitate Dei, hinc est, quòd ad constituendum aliquem infidelem satis est, quòd sola explicitè, & formaliter negetur unitas Dei. Nam ad eius negationem (ut uidimus) necessariò cōsequitur negatio cæterorum, in quibus illa formaliter inuoluitur. Ad hoc autē ut directè, & in forma respondeam argumento, concedo maiorē, & dico, illos articulos debere accipi copulatiuè, seu collectiuè, ad hoc ut eorum negatio constituat infidelem, dummodò eorum habeatur notitia. Nego deinde minorē, uidelicet hoc esse absurdum. Ille enim, quem Aduersarius fingit, Trinitatis inscius, solā negans vnitatē Dei, ex hoc ipso esset formaliter infidelis, quòd omnes fidei articulos sibi notos negaret.

In

In quo non possum non vehemēter dolere cæcitatem arguentis, nè dicam aliud. Quomodo enim potest reuocari in controuersiam, an ille sit infidelis, qui vnicum tantùm cognoscit obiectū fidei, & illud reijcit, vtique paratus cæteros respuere, si cognosceret? Quare potest retorqueri argumentum. Huiusmodi homo totam negaret fidem, quià negaret totum illud, quod de illa cognosceret. Ergo esset formalissimè infidelis. Probatur consequentia à contrario. Si ille tantùm Dei cognoscat vnitatem, illam credendo, fit formaliter fidelis, quia nemo tenetur ad impossibile. Ergo illam solùm cognoscendo, si illam negat, fit formaliter infidelis.

Dices. Hic homo non negaret totum fundamentum fidei, quod per te constituitur ex vnitate, & Trinitate collectiuè sumptis. Ergo non esset infidelis. Nego primò antecedens, quia (vt dixi) sola vnitas ab ipso negata est propriè, & rigorosè totum fundamentum fidei. Et deinde quia dixi, hos articulos debere accipi copulatiuè, in ijs, qui eorum notitiam habeant, in quibus fieri non potest, vt vna tantùm negetur vnitas,

cùm

cùm omnes alij articuli fundātur in illa, adeoque cū illa negentur saltem concomitāter, & implicitè, vt dictū est supra.

Tertiò distinguo idem antecedens, non negaret totum fundamentum fidei sibi notum, nego; non negaret quæ non nouit, transeat antecedens, & nego cōsequentiam. Sicut igitur ad hoc vt Petrus dicatur osor Pauli, satis est, quòd oderit Paulum sub illa formalitate, sub qua ille sibi innotescit, quamuis illum non oderit sub alijs formalitatibus sibi minimè notis; Ita ad hoc ut aliquis totum dicatur negare fundamētum fidei, immo & totam fidem, satis est quòd neget totum id, quod de illa cognoscit. Ad hoc ergo ut argumentum haberet uim, deberet loqui de articulis cognitis, non autem de incognitis, de quibus non potest haberi infidelitas positiua, de qua est sermo, & propriè conuenit baptizatis discredentibus, sed solùm negatiua, in qua nullum est peccatum, ut probat S.Tho.2.2.q.10.ar.1. his uerbis *infidelitas dupliciter accipi potest, vno modo secundùm puram negationem, vt dicatur infidelis ex hoc solo, quòd non habet fidem, &c. Qui autem sic sunt infideles,*

dam-

uatoris; vel circa ea, quæ de Christo vt futuro inuenimus in scripturis; vel quæ Christus condidit sacramenta, vt nobiscum versans; vel quę docuit, &c. Sed hęc omnia reducuntur vel ad Christũ Dominum, uel ad Deum. Ergo inuoluunt formaliter eiusdem vnitatem.

Secundò nego maiorem. Nam si aliquis neget solam existentiam Dei, quã, uis per impossibile admitteret omnes alios articulos fidei, is censeretur formaliter atheus, & non hæreticus. Quare posset distingui illa maior (& erit tertia responsio) Qui negat vnam tantùm ex veritatibus fidei, est formaliter hæreticus, si loquamur de veritatibus primarijs, quæ per se sunt fidei obiectum, nego; Si de secundarijs, quæ solùm per accidens sunt fidei obiectum, cõcedo maiorem. Et distinguo minorẽ, qui negat solam vnitatem Dei, negat solùm vnã ex veritatibus primarijs, immò principalissimam totius fidei, concedo: negat vnam ex veritatibus secundarijs, nego minorem, & cum illa consequentiam. Ad intelligentiam respõsionis, aduerto ex D. Tho. 2, 2. q. 2. ar. 5; *determinationem actus virtuosi ad proprium, & per se obie-*

ctum

ctum virtutis, esse sub necessitate præcepti; sicut & ipsum virtutis actum: determinationem autem actus virtuosi ad ea, quæ accidunt aliter, vel secundariò se habent, ad proprium, & per se virtutis obiectum, non cadere sub necessitate præcepti, nisi prò loco, & tempore. Quare cùm D. Paulus ep. ad Hebræos c. 11. determinauerit quæ cadũt, respectũ omnium, sub necessitate præcepti, videlicet *quòd Deus sit, & quòd inquirentibus eum remunerator sit*, quæ sola communiter cum D. Thoma dicũtur debere ab omnibus explicitè credi, patet etiam quæ sint obiecta primaria propria, & per se ipsius fidei, videlicet existentia Dei remuneratoris: Et ideo ait Angelicus in loco citato, *dicẽdum est quòd fidei obiectũm per se est id, per quod homo beatus efficitur* (vt probauerat antea art. 3.) *Per accidẽs autẽ, aut secũdariò se habẽt ad obiectũ virtutis omnia, quæ in sacra scriptura diuinitùs tradita continentur, sicut quòd Abraham habuit duos filios &c. Quantùm ergo ad prima credibilia, quæ sunt articuli fidei, tenetur homo explicitè credere, sicut & tenetur habere fidem; Quantùm autem ad alia credibilia, non tenetur homo explicitè credere.* His positis,

tis, cùm obiectum primarium sit existentia Dei remuneratoris, & hæc debeat explicitè ab omnibus fidelibus credi, eo ipso quòd discredatur, seu negetur, incurritur formaliter infidelitas. Sed quicumque negat vnitatem Dei, negat eius existẽtiam, de cuius ratione formali est esse vnicum. Ergo quicũque negat vnitatem Dei, non negat illam solam, sed illam primariò, & explicitè, & omnes alios articulos implicitè, & secundariò; adeoque totam negat fidẽ.

Ad secundum respondeo, vnitatẽ, & Trinitatẽ Dei, Incarnationem, mortẽ, & resurrectionẽ Christi esse quidẽ polos fundamentales fidei, sed cũ eo ordine, quo enumerantur, vt videlicet vnus præcedat aliũ, & subsequens fũdetur in antecedenti. Nã Christi resurrectio fundatur in eius morte, & hæc in Incarnatione; Incarnatio autem in Trinitate; & Trinitas in Vnitate, quæ est omniũ prima, & radix cęterorũ. Sicut ergo fundamẽtũ domus dicit multos lapides, unũ suprà alium, qui omnes ut partes talis parietis, dicuntur inadæquatè fundare domum, non tamen omnes eam fundãt eodẽ modo, sed unus mediatiùs, & alter imme-

immediatiùs, quoadusq; deueniatur ad omnium infimos, unde cępta est domus ædificari, qui dicuntur primi lapides, & propriè, & rigorosè sunt fundamētum domus, quia sunt primum illius initiū, & fulcimentū, & in ordine ad quos alij non habent rationem fundamenti, nisi impropriè; Idem dico de his articulis, qui quamuis respectu aliorum, ut principalissimi, lato quodam modo, uideantur habere rationem polorum, quibus tota Christi substernitur fides; tamen si ad inuicem comparentur, & rigorosè sumatur ratio fundamenti, quatenus uidelicet sonat id unum, cui tota innititur fides, hoc non conuenit, nisi Dei unitati, quæ sola tamquam omnium prima sustentat fidem.

Dices. Si hæc ratio ualeret, fidei fundamentum esset sola existentia Dei, quę primò credenda proponitur ad Heb. 11. *Accedentem ad Deum oportet credere quia est*. Ergo non esset eius unitas, quæ fundatur in existentia. Primò nego cōsequentiam, quia idem est *Deum existere*, atq; *esse vnū*. Ergo quidquid dicitur de eius existentia, dicitur de eius unitate. Antecedens probatur a D. Tho. 1. p. q. 11.

q.11.ar.1.ubi ait, *vnum non addere supra ens aliquod reale, sed solùm negationem divisionis.* Cùm ergo Deus sit sua essentia, seu sua natura, ut idem probat q.3. ar.3., & hęc sit maximè una, ut patet ex eodem q.11.ar.4., sequitur etiam, quòd Deus sit suum esse, seu existere, vt idem probat q.3.ar.4., & per consequens sua unitas. Hoc non ualet de Trinitate, quæ quamuis realiter sit idem cum essentia, ut idē probat q. 28. ar. 2., ab illa tamen distinguitur uirtualiter intrinsecè, ut nos probauimus in primo libro disp. 2. ar. 2., & admittitur ibid. à S. Tho. sub nomine distinctionis rationis, vt explicatur cōmuniter à Recentioribus. Quare Trinitas relationum superaddit essentiæ, non quidem aliquod reale, sicut per errorem asseruit Gilibertus Porretanus, sed tres formalitates uirtuales, realiter quidem inter sese distinctas, nō tamen realiter distinctas ab essentia, sed solùm uirtualiter intrinsecè. Et ideo nomine Dei existentis simpliciter, & absolutè prolati, prout credendus proponitur, intelligitur primò Deus ut unus, & deinde ut trinus.

Secundò transeat antecedēs, & nego con-

cõsequentiam. Nos enim hìc loquimur de unitate, comparata cum Trinitate, Incarnatione, alijsque articulis inde consequentibus, non autem de unitate comparata cum existentia. Quare quamuis concederetur, unitatem Dei non esse fundamentum fidei priùs existentia eiusdem, non tamen proinde sequeretur; non esse prius Trinitate, Incarnatione, &c. quibuscum fit comparatio, saltem prioritate secundùm subsistendi consequentiam.

Præterquamquod existentia Dei, utpote quæ euidenter probari potest, uerè non est obiectum fidei, etiamsi concedatur esse obiectum distinctum ab unitate, nisi penès aliquem stultum potius, quàm atheum, iuxtà illud psal. 13. *dixit insipiens in corde suo non est Deus*, cui Dei non innotesceret existentia. Hoc autem expresè asseritur à D. Tho. p. p. q. 2. ar. 2. in respons. ad 1. his verbis *ad primum dicendum, quòd Deum esse, & alia huiusmodi, quæ per rationem naturalem nota possunt esse de Deo, vt dicitur Rom. 1. non sunt articuli fidei, sed præambula ad articulos. Sic enim fides præsupponit cognitionem naturalem, sicut gratia naturam.*

Neque

Neque obstat, quòd existentia Dei proponatur ab Apostolo ad Heb. 11. ut articulus fidei; Hoc enim fit primò, quia, ut prosequitur ibidem S. Doctor, *illud quod est secundùm se demonstrabile, & scibile, potest ab aliquo accipi vt credibile, qui demonstrationem non capit*. Et deinde quia *existentia Dei inter credenda numeratur, non quia de ipsa simpliciter fit fides apud omnes, sed quia praexigitur ad ea, quæ sunt fidei, & oportet eam, saltem per fidem, præsupponi ab his, qui huius demonstrationem non habent*, ut egregiè asserit S. Tho. 2.2. q. 1. ar. 5. Ex quibus patet, existentiam Dei prærequiri ad omnes articulos fidei, sicut baptismus ad omnia sacramenta, cum hac tamen differētia, quòd baptismus sit primum inter sacramenta; At existentia Dei necessariò non est primum inter credibilia, cùm possit ipsa sciri, & non credi. Possemus ergo dicere ad uerba illa D. Pauli, quòd cum omnibus Gentilibus innotuerit existentia Dei, & non innotuerit unitas; Ideo Apostolus loco citato, præsupposita Dei existentia, tamquam omnibus obuia, & scita, & non credibili, eius tantùm proponit credē-

dam

dam unitatem à plerisque negatam, ut patet ex uerbis consequentibus, *& quod inquirentibus se, remunerator sit*, quę pluribus non conueniunt, sed uni tantùm.

Ex dictis patet solutio ad illam instantiam, an uidelicet hi articuli accipiantur collectiuè, uel distributiuè? Siquidem dico, cùm omnes non sint propriè, & rigorosè fidei fundamentum, sed solùm impropriè, per concomitantiam cum unitate Dei, hinc est, quòd ad constituendum aliquem infidelem satis est; quòd sola explicitè, & formaliter negetur unitas Dei. Nam ad eius negationem (ut uidimus) necessariò cõsequitur negatio cæterorum, in quibus illa formaliter inuoluitur. Ad hoc autẽ ut directè, & in forma respondeam argumento, concedo maiorẽ, & dico, illos articulos debere accipi copulatiuè, seu collectiuè, ad hoc ut eorum negatio constituat infidelem, dummodò eorum habeatur notitia. Nego deinde minorẽ, uidelicet hoc esse absurdum. Ille enim, quem Aduersarius fingit, Trinitatis inscius, solã negans vnitatẽ Dei, ex hoc ipso esset formaliter infidelis, quòd omnes fidei articulos sibi notos negaret.

In quo non possum non vehemẽter dolere cæcitatem arguentis, nè dicam aliud. Quomodo enim potest reuocari in controuersiam, an ille sit infidelis, qui vnicum tantùm cognoscit obiectũ fidei, & illud reijcit, vtique paratus cæteros respuere, si cognosceret? Quare potest retorqueri argumentum. Huiusmodi homo totam negaret fidem, quia negaret totum illud, quod de illa cognosceret. Ergo esset formalissimè infidelis. Probatur consequentia à contrario. Si ille tantùm Dei cognoscat vnitatem, illam credendo, fit formaliter fidelis, quia nemo tenetur ad impossibile. Ergo illam solùm cognoscendo, si illam negat, fit formaliter infidelis.

Dices. Hic homo non negaret totum fundamentum fidei, quod per te constituitur ex vnitate, & Trinitate collectiuè sumptis. Ergo non esset infidelis. Nego primò antecedens, quia (vt dixi) sola vnitas ab ipso negata est propriè, & rigorosè totum fundamentum fidei. Et deinde quia dixi, hos articulos debere accipi copulatiuè in ijs, qui eorum notitiam habeant, in quibus fieri non potest, vt vna tantùm negetur vnitas,

cùm

cùm omnes alij articuli fundātur in illa, adeoque cū illa negentur saltem concomitāter, & implicitè, vt dictū est supra.

Tertiò distinguo idem antecedens, non negaret totum fundamentum fidei sibi notum, nego; non negaret quæ non nouit, transeat antecedens, & nego cōsequentiam. Sicut igitur ad hoc vt Petrus dicatur osor Pauli, satis est, quòd oderit Paulum sub illa formalitate, sub qua ille sibi innotescit, quamuis illum non oderit sub alijs formalitatibus sibi minimè notis; Ita ad hoc ut aliquis totum dicatur negare fundamētum fidei, immo & totam fidem, satis est quòd neget totum id, quod de illa cognoscit. Ad hoc ergo ut argumentum haberet uim, deberet loqui de articulis cognitis, non autem de incognitis, de quibus non potest haberi infidelitas positiua, de qua est sermo, & propriè conuenit baptizatis discredentibus, sed solùm negatiua, in qua nullum est peccatum, ut probat S.Tho.2.2.q.10.ar.1. his uerbis *infidelitas dupliciter accipi potest, vno modo secundùm puram negationem, vt dicatur infidelis ex hoc solo, quòd non habet fidem, &c. Qui autem sic sunt infideles,*

dam-

damnãtur quidem propter alia peccata, quæ ſine fide remitti non poßunt, non autẽ damnantur propter infidelitatis peccatũ. Vnde Dominus dicit Ioan. 15. Si non veniſſem, & locutus eis non fuiſſem, peccatũ non haberent. Quare illi articuli debent quidem accipi collectiuè, ſed reſpectu cognoſcentis, cui numquam poteſt accidere, ut credat Trinitatem, uel Incarnationem, poſt negatam unitatem, quamuis poſſit illam credere, his negatis.

Dices demùm, poteſt negari Trinitas ſine unitate. Ergo etiam unitas ſine Trinitate; & per conſeq. ſi ad infidelitatẽ requiritur utriuſq; negatio collectiuè, poterit negari unitas abſq; infidelitate. Nego conſequentiam. Sicut enim non ualet, poteſt negari *rationale*, abſque eo quòd negetur *animal*. Ergo etiã poterit negari *animal* ſine *rationali*; Ita non ualet conſequentia Aduerſarij.

Ex his omnibus facile erit conijcere quid ſit dicendum de ijs hæreticis, quorum cenſum iniit Aduerſarius. Nam ij omnes uel nullo modo negarunt unitatem Dei, ut infra probabo, quamuis in communi modo loquendi uiderentur,

plures

plures admittere Deos; vel non fuerunt hæretici per hoc,sed per discredentiam aliorum articulorum, sicut supra asseruimus ex D.Tho.de Infidelium damnatione, & transitum deinde fecerunt ad apostasiam, vel infidelitatem,eo modo quo Herodes incæpit conuiuiū adulter, & terminauit homicida. In quo obiter obserua, quàm abs re fuerit recensitus ab Aduersario,inter negantes Trinitatē Caluinus,quia dixerit *recepta vulgò precādi ea formula,sācta Trinitas vnus Deus, miserere nobis,mihi non placet, & barbariem planè redolet*. Nā hoc loco infamis ille & perditus heresiarcha nō loquitur vt theologus, sed vt grammaticus, & pedagogus, sicut sæpissimè eum imitatur Aduersarius. Et ideo eius censura non excedit verba grammaticalia; voluisset enim elegantionem dicendi formulam,sicut verba magis ethrusca,nulloque aut scripti, aut loquentis vitio deturpata, voluisset in nobis Aduersarius, cùm tamen ipse primigeniam rustici ortus barbariem, non modò vnquā non deposuerit, sed maiori semper additamento locupletauerit; & in eo ipso sit reprehensibilis, inquo alium vitio-

ſior. ipſe reprehendit imprudens.

Malè igitur vocaretur hæreticus quicũq; baptizatus aſſereret, vel dari de facto, vel eſſe poſſibiles plures Deos, cùm potiùs in rigore ſcholaſtico vocandus eſſet apoſtata, vel Gẽtilis, iuxtà propriã cenſuram, debitam theologicè eius dictis. Ad plenam autem huius rei tractationem, ſupereſt, vt videamus, neque Manichæos, neque vllum alium ex hæreticis, vt formaliter hæreticum, plures vmquam Deos admiſiſſe, contrà ea, quę abſque vllo fundamento inflatis buccis, verbiſque ſeſquipedalibus, de more, toties repetit Aduerſarius.

ARTICVLVS QVARTVS

An Manichæi, vel alii hæretici admiſerint plures Deos?

Parergon tertium.

MVlti ex Recentioribus, in famoſo quodam libello pag. 80. quorum nomina, propter ipſorum infamiam pudet r. cẽſere, vt tueantur, propoſitiones omnes affirmãtes pluralitatem Deorũ,

ſine

siue de facto existentium, siue solùm physicè, possibilium, esse formaliter hæreticas, dicunt, Valentinum, Marcionem, Apellem, Gnosticos, Stratioticos, Tibionitas, Socratitas, Zachæanos, Codelianos, Barbelitos, Naasianos, Cerdonianos, & præcipuè Manichæos, fuisse hæreticos, eo quòd coluerint plures Deos. Et ad hoc probandum, citant prò se Irenæum, Tertullianum, Epiphaniũ, Suarium, Gualterium, Grauinam, & ipsum hæreseon omnium acerrimum impugnatorem, & malleum Augustinũ. Quare, vt veritas pateat, tria hìc statuemus. Primò paucis percurram huiusmodi Hæreticorum errores. Deinde Manicheorum hæreseon synopsim ob oculos ponam. Tertiò Auctorum dicta, quos memorant, fideliter e fontibus excerpta, breuiter explanabo.

Vt autem initium faciam ab erroribus huiusmodi Hæreticorum, suppono, hos omnes fuisse antiquiores Augustino, & nullum alium ex sanctis Patribus, accuratiùs de illis egisse, vel ex ipsa Aduersariorum confessione, quàm ipsum lumen Africæ Augustinum. Puto igitur, futurum fore, vt ipsorum magis indul-

geam voluntati, si cæteris prætermissis, vnicum sequar, in his omnibus, Augustinum, tamquam auctorem irrefragabilem, & diligentissimum, in libro de hæresibus, initio sexti tomi, collecto ex Commentarijs S. Epiphanij, & Eusebij, ex quo omnes alij deinde harum hæreseon percæpere notitiam. Ita igitur Augustinus in hæresi 6. *Gnostici propter excellentiam scientiæ sic se appellatos esse gloriantur. Nonnulli eos etiam Barboritos vocant, quasi cænosos, propter nimiam torpitudinem, quam in suis mysteriis exercere dicuntur.* In quo obiter aduerte, callidissimè ab Aduersarijs, vt duas sectas, corrupto vocabulo, distingui à Gnosticis Barboritas, sub nomine Barbalitarum, vt maiorem sibi facerent fauentium pompam Hæreticorum; cùm tamē hìc tamquam vnius, eiusdemque sectæ pedissequos, vtrosque acceperit Augustinus. Vnde patet, quàm paruam illi mereantur fidem in suis citationibus, quādo tam turpiter errant, & de industria uel in ipsis nominibus, in quibus omnes conueniunt. *Aliqui eos à Nicolaitis exortos putant; Alij à Carpocrate, &c. Etiam ipsi Principum, vel Angelorū nominibus* ter-

terribilibus (vbi non dicit Deorum) *infimas animas capiunt, & de Deo, rerumque natura, fabulosa, & à sanitate veritatis aliena multa contexunt. Animarum substantiam Dei dicunt esse naturam, earumque aduentum in hæc corpora, cum aliis aeris animalibus dicunt fieri, per quas peccata in corporibus committuntur. Nam illas animas, quæ ex Dei procedunt substantia, reuerti ad Deum immaculatas*. Et postea subdit, tamquam dictum aliorum, à se minimè approbatum, *Dicuntur quoque bonum Deum, & malum Deum in suis habere dogmatibus*. Quare per Diuum Augustinum Gnostici non adorabant plures Deos, sed vnum; Et per ly *bonum, aut malum Deum*, quos alij dicebant ab illis adorari, debent intelligi quædam potestates aereæ, seu potius angeli, vt asserebant Nicolaitæ, à quibus hauserant hũc errorem, & vnde etiam dicti sunt processisse, vt initio diximus, vt videre est in hæresi 5. de Nicolaitis, vbi hæc habet *nescio quæ barbara Principum nomina miscentes disputationibus suis, quibus terreant Auditores*. Et paulò infra *etiam isti non Deo tribuunt creaturam, sed quibusdam potestatibus; quas mirabili vel*

fingunt vanitate, vel credunt. Ecce bonum Deum, & malum Deum, has videlicet potestates, de industria introductas, ad rudes deterrendos, & decipiendos, quas potius Angelos dixeris bonos, & malos, quã Deos. Sed hoc etiã clarius colligitur infra in hæresi in qua 7. hæc habet *Carpocratiani sunt à Carpocrate, qui docebat, omnem turpem operationem, omnemque adinuentionem peccati, nec aliter euadi, atque transiri principatus, & potestates, quibus hæc placent, vt possit ad Cælum superius perueniri. Hic etiam Iesum hominem tantummodò, & de vtroque sexu natum putasse perhibetur &c. Resurrectionem corporis abiiciebat. Negabat mundum à Deo factum, sed nescio à quibus virtutibus:* (vbi non dicebat Dijs, uel Deabus) in quarum admissione conueniebat cum Gnosticis, & Nicolaitis. Non ergo Gnostici, Nicolaitæ, & Corpocratiani plures admittebant Deos, vt asserunt Aduersarij.

In hæresi 11. *Valentiniani à Valentino, qui de natura rerum multa fabulosa confixit. Triginta æonas* (Aduertatur hoc verbum, cuius tradit explicationem) *idest sæcula asserens extitisse, quorum principiũ*

esse

esse profundum, & silentium, quod profundum etiam patrem appellat. Ex quibus duobus velut ex coniugio processisse perhibet intellectum, & veritatem, &c. Christũ à patre missum, idest à profundo, spirituale, vel cæleste corpus secum attulisse, & nihil assumpsisse de Virgine Maria, &c. Et transiens ad rerum generationes, ait *De tricesimo sæculo* (idest æone) *dicit Diabolum genitum, & à Diabolo alios natos, quæ fecerint hunc mundum.* Quare hic admisit vnum tantùm Deum, quem deinde admisere sectarij, & præter eum, non alios triginta Deos (ut somniant Aduersarij) sed 30. æonas, siue sæcula, & Diabolũ, à quo multorum originem deriuabat.

Quomodo ergo tam splendidè mentiuntur *Valẽtinus triginta Deos fingebat?* Hìc ergo eos tamen excusarem, propterea, quòd D. Aug. ly *triginta æonas* grecè conscripsit, & miselli Aduersarij Græcanicam numquam didicere litteraturam. Excusarem, inquam, eorum ignorantiam, nisi latinam statim apposuisset interpretationem, & nisi illos toties in alijs mendaces deprehendissem.

In hæresi 22. *Marcion quoque, à quo Marcionistę sunt, qui Cerdonis secutus est*

dogmata de duobus principiis(& non dicit Dijs) *quamuis Epiphanius eum tria dicat asseruisse principia, bonum, iustū, prauum. Sed Eusebius Sinerem quemdam, non Marcionem trium principiorū, atque naturarū scribit auctorem*. Marcion ergo *non duos posuit Deos sibi contrarios*, ut asserunt Aduersarij, sed duo tantùm principia, ut posuit Cerdo. Huius autem erroris meminit Augustinus hæresi 21. his uerbis. *Cerdoniani à Cerdone nominati, qui duo principia sibi aduersantia dogmatizant, Deumque legis, ac Prophetarum non esse patrem Christi, nec bonum Deum esse, sed iustum, patrem verò Christianorum, Christumque ipsum neque natum ex femina, neque habuisse carnem, vel quidquam passum, sed simulasse passionem*. Et deinde subdit tamquam ab alijs dictum, & non à se. *Quidā verò, in duobus principiis suis, duos Deos ita eum dixisse perhibent, vt vnus eorum esset bonus, alter malus*. Quare per D. Augustinum hi fuerunt Hæretici, non quia plures colerent Deos, sed quia negarent, Christum natum ex femina, uerè fuisse passum, & alia huiusmodi, quidquid alij dixerint, an etiam uerè plures coluerit Deos, quod ipse nō asserit.

rit, immo confutat, ut patet ex textu.

Præterquàmquòd quamuis hoc asseruisset Augustinus, adhuc tamē propter hoc non fuissent hæretici, sed propter alios errores, ex quibus deinde prolapsi essēt in apostasiā, seu infidelitatem, ut supra explicuimus in secūdo art. Quòd si tamen, hoc non obstante, inter hæreticos recensentur ab aliquo, hoc fit denominatione desumpta, ex tēpore illo antecedenti, in quo verè fuerunt hæretici, sicut Iudas Iscariotes, quia verè aliquando fuit, adhuc vulgò denominatur Christi Apostolus, quamuis sit de fide, illum non esse amplius apostolum, eo quòd per proditionem amiserit apostolatum, & in eius locum electus fuerit Matthias, vt habetur ex D. Luca act. 1. *tu Domine ostende quem elegeris, ex his duobus vnum, accipere locum ministerii huius, & apostolatus, de quo præuaricatus est Iudas.* Et ratio est, quia plerumque doctores in huiusmodi denominationibus, non loquuntur in toto rigore scholastico, sed vt solet vulgus, vt eius captui se accomodēt. Quod idem dictum volo de omnibus alijs, siqui sunt, de quibus hæc duo aliquis copulauerit, quòd vide-

licet fuerit hæreticus; & plures simul coluerit Deos. Nam hæc duo possunt quidem de eodem successiuè verificari, non autem copulatiuè, vt infra videbimus.

In hæresi 25. *Apellitæ, quorũ Apelles est princeps, qui duos quidem introducit Deos, vnum bonum, alterum malum, non tamen in duobus diuersis, atque inter sese aduersis principiis, sed vnum esse principium, Deum scilicet bonum, & ab illo factũ alterum*, videlicet Demonem, *qui cum malignus esset, inuentus est in sua mundum malignitate fecisse*. Vbi ergo est quod tã confidenter asseritur, *Apelles duos statuit Deos, & primus alium Deũ fecit, hic verò factus est alius Deus?* Quid fingis, quid mentiris Aduersari? Cur Doctores, quos citas, fideliter non refers? Cur omnia eorum verba sus deque conuertis, vt tuam tuearis malignitatem? D. Augustinus apertè ait, fuisse quidem ab Apelle duos admissos instar Deorum, *vnum tamẽ verum admissum esse primum omnium principium, Deum scilicet bonum, & ab illo factum alterum*, nõ alium Deũ masculinè, vt tu comminisceris, sed *alterum*, videlicet alterum principium,

non

non Deum, quippe factum, sed creaturam; quod (vt supra ostendimus in hæresi 11.) aliud esse non asserebat quàm Diabolum; cuius nomen non est cur tātopere fugias, cùm tu sis eius filius, qui mendacij est pater. Neque est quòd replices, illos fuisse semel ab initio Deos vocatos. Hoc enim nomen non semper sonat diuinitatem, sed aliquando etiam dignitatem, vt infrà probabo.

Verùm dices, ita inueni penès Ireneū, Tertullianum, Epiphanium, Eusebium, Augustinum. De Augustino iam dixi, quantùm à recto illius tramite declinaueris. Epiphanium, & Eusebium (vt ipsemet fatetur primo libri huius initio) vidit, & secutus est in omnibus, quę narrauimus, Augustinus. Alij non discordāt ab his, quos vt magistros venerantur, & duces. Et si ab his illi discordarent, ego etiam laudabiliùs discordarem ab illis, vt cum Augustino sentirem. Quare tu potius discordas, quia non sentis cum illis, quos in patronos asciscis, sed eorū verba corrumpis, peruertis ordinem, sensum adulteras. Hoc autem dictum volo de Grauina, Baronio, Suario, Gualtetio, & siqui sunt alij, quos ipse semper

inuertit, addendo, detrahendo, glossando, vt ad suos errores detorqueat, & ad sua confirmanda mendacia, vaferrimus Aduersarius.

De Stratioticis, Tibionitis, Socraticis, Zacheanis, Codolianis, Barbelitis, Naasionis siue (vt lepide inuertit) asininis, vel asinonibus, nè verbum quidem facit Augustinus, vt potest colligi ex toto vniuersarum hæreseon inscripto catalogo, quę vsque ad eius ętatem peruenerant, quarum nomina, vt veritas pateat, hic apponam. Hæ autem sunt numero 90. 1. *Simoniani* 2. *Menandriani* 3. *Saturniani*, 4. *Basilidiani*, 5. *Nicolaitæ* 6. *Gnostici* 7. *Carpocratiani* 8. *Cerinthiani, vel Merinthiani* 9. *Nazarei* 10. *Hebionci* 11. *Valentiniani* 12. *Secundiani* 13. *Ptolemæi* 14. *Marcitæ* 15. *Colorbasii* 16. *Heracleonitæ* 17. *Ophitæ* 18. *Caiani*, *aliàs Caini* 19. *Sethiani* 20. *Archontici* 21. *Cerdoniani* 22. *Marcionitæ* 23. *Apellitæ* 24. *Seueriani* 25. *Taciani* 26. *Cataphryges* 27. *Pepuziani*, *aliàs Quintiliani* 28. *Artotyritæ* 29. *Tessarescæ Decatitę* 30. *Alogiani*, *aliàs Alogi* 31. *Aditæ*, *aliàs Adaniani* 32. *Elcesseitæ*, *& Samseitæ* 33. *Theodotii*, *aliàs Theodotiani* 34. *Melchisedechitæ* 35. *Bardesani-*

tæ 35. Noetiani 37. Valesii 38. Carthari, qui & Nouatiani 39. Angelici 40. Apostolici 41. Sabelliani 42. Origeniastæ 43. Origeniani 44. Paulonitæ 45. Photoniaci 46. Manichei 47. Hieracitæ 48. Melitiani 49. Arriani 50. Vadiani 51. Semiarriani 52. Macedoniani 53. Æriani 54. Ætiani 55. Apollinaristæ 56. Antidicomarianitæ 57. Psalliani 58. Mentagismonitæ 59. Seleuciani 60. Proclianitæ 61. Patriciani 62. Ascitæ 63. Pattalorinchitæ 64. Aquarii 65. Coluthiani 66. Floriniani. 67. de mundi statu dissentientes 68. Nudis pedibus ambulantes 69. Donatistæ 70. Priscillianistæ 71. Cum hominibus non Manducantes 72. Rhetoriani 73. Christi diuinitatem passibilē dicentes 74. Triformem Deum putantes 75. Aquam Deo coæternam dicentes 76. Melitonii 77. Ophei 78. Tertullii 79. liberationem omnium apud inferos factam Christi descensione credentes 80. Christi de patre natiuitati initium à tempore dantes 81. Luciferiani 82. Iouinianistæ 83. Arabici 84. Heluidiani 85. Paterniani, vel Venustiani 86. Tertullianitæ 87. Abeloitę 88. Pelagiani 89. Nestoriani 90. Eutichiani.

Hæ sunt omnes hæreses, quę Ecclesiā conturbarunt, e Christi Domini tēpore, vsque

vſque ad tempora Auguſtini, & omnes illæ, quarum in ſuis omnibus operibus, & præcipuè in 6.tomo lib.de hæreſibus, ipſe meminit Auguſtinus. Vbi ſunt autē *Stratiotici, Tibioniti, Socratici, Zacheani*, aliique quamplures, quorum catalogū texuit, tamquam ab Auguſtino deprōptum, quem citat in margine ad captādam fidem, ſibi ſemper in mentiendo ſimillimus Aduerſarius? Certè nuſquam apparent. Ergo nuſquàm apparuerunt hæretici Deorum adoratores. Quare numquam probatur quòd probandum ſibi propoſuit, propoſitiones impiè aſſerentes Deorum poſſibilitatem, eſſe formaliter, & rigoroſè hæreticas.

Venio nunc ad Manicheos, de quibus potiſſima eſt diſceptatio. Horum errores fusè proſequitur Auguſtinus in dicto lib. hæreſ.46. Eorum ſummam fideliſſimè referam, vt omnes videāt, quàm mendosè fuerint adhibiti, in teſtimoniū hæreticæ Idolatriæ, ſeu gentilitatis. *Manichæi à quodam Perſa extiterunt* (ſic ait Auguſtinus) *qui vocabatur manin, &c. quaſi manna fundens, &c. Iſte duo principia inter ſeſe diuerſa, atque aduerſa, eademque æterna, & coæterna, hoc eſt ſemper fuiſſe*

fuisse composuit, duasque naturas, atque substantias, boni scilicet, & mali, sequens alios antiquos hæreticos, opinatus est. Supponit ergo hic, hanc hæresim fuisse deceptá ab antiquis hæreticis. A quibus? Non nisi à Nicolaitis, de quibus supra meminimus, vnde etiam orti sunt Gnostici. Ergo ista principia debent accipi, sicut ibi exposuimus, vnde ortum habuere. Et deinde pergit, *quarum inter se pugnam, & commixtionem, & boni à malo purgationem, &c. multa fabulatur. Ex his autem suis fabulis vanis, atque impiis coguntur dicere* (vbi aduertendum est, illos non dicere hæc formaliter quæ sequuntur sed taliter dicere, vt possint cogi ad illa asseueranda) *animas bonas, &c. cuius, Deus est, esse naturæ. Proinde mundum à natura boni, hoc est à natura Dei factum confitentur quidem, sed de commixtione boni, & mali, quæ facta est, quando inter se vtraque natura pugnauit; ipsam verò boni à malo purgationem, ac liberationem, non solùm per totũ mundũ, & de omnibus eius elementis, virtutem Dei facere dicunt, verũ etiam electos suos per alimenta quæ sumũt, & eis quippe alimentis, sicut vniuerso mũdo, Dei substantiam perhibent esse commixtam.*

mixtam. Ecce vnde coguntur dicere, animas bonas esse naturæ diuinæ, adeoque instar Deorum, quia scilicet aiunt, illas fieri ex commixtione boni, & mali, & purgari à malo per alimenta, quę sint substantiæ diuinæ. *In cæteris autem hominibus hanc partem bonæ, diuinæque substãtiæ, quæ mixta, & colligata in escis, & potibus detinetur, maximeque in eis, qui generant filios, arctiùs, & inquinatiùs colligari putant, &c.* Et deinde narrat errores, quos asserũt in modo, quo aiunt dilatari huiusmodi diuinas substantias, quod longum esset recensere. *Quinque elemẽta, quæ genuerunt principes proprios, genti tribuunt tenebrarum, eaque elementa his nominibus nuncupant, fumum, tenebras, ignem, aquam, ventum*. Et hæc elementa vocant mala, vnde ortum habuerint omnia animalia, *in fumo nata animalia bipedia* (vnde homines ducere originem censent) *in tenebris serpentia: in igne quadrupedia: in aquis natalia: in vento volatilia. His quinque elementis malis debellãdis, alia quinque elementa* (quæ dicebant esse bona) *de regno, & substantia Dei missa esse, & in illa pugna fuisse permixta, fumo aerem, tenebris lucem, igni malo ignem bonum,*

bonum, aquæ malæ aquam bonam, vento malo ventum bonum, &c. Et deinde narrat, hos censuisse, Solem, & lunam esse naues, *Dei substantia fabricatas, sancti virtutibus plenas, quæ se in masculos transfigurant, vt illiciant fæminas gentis aduersæ, &c.* Et hic describit ineptias, quæ consequuntur ex his, videlicet semen humanum, plantas, & omnia alia corpora esse inquinata particulis Dei, vnde nec arbores cædunt, nè fiant Deicidæ, nec colunt agriculturam, &c. Inde transit ad eorum errores circa Christum Dominum, quem *dicebant esse serpentē, & venisse ad animas, non ad corpora liberandas, nec fuisse in carne vera, sed simulatam speciem carnis, ludificandis humanis sensibus præbuisse, vbi non solùm mortem, verùm etiam resurrectionem mentiretur, &c.* Trāsit deinde ad eorum scripturas, & dicit, illos *vt verum* Deum *non cognoscere illum qui cum Moyse locutus fuit, & in Hebræis prophætis, sed vnum e principibus tenebrarum;* Et ideo totum negant vetus testamentum, & partem noui. *Promissionem Christi de paracleto Spiritu Sancto in suo archimanichæo dicunt esse completam; vnde se apostolum dicit, &c.*
Me-

Memorat postea eorum orationes, *orationes faciunt ad Solem per diem quaquauersũ circumit, ad lunam per noctem si apparet; si autem non apparet, ad aquilonim partẽ, &c.* Non quia illos putent Deos, sed quia illos putant naues, cælestibus illis virtutibus refertas, de quibus locuti sumus initio, vt videlicet sibi bonas vehant virtutes, ad repellendas prauas. De peccatis hęc habent. *Peccatorum originem non libero arbitrio voluntatis, sed substantiæ tribuunt gentis aduersæ, &c.* Demùm refert errorem circa duas animas, *easque duas animas, vel duas mentes, vnam bonam, alteram malam, in vno homine inter se habere conflictum, quando caro cõcupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem, &c.* Hæc est summa errorum omnium, quos admittebat hæresis Manichæorum; Inter quos D. Augustinus numquam enumerat pluralitatem Deorum, vt Aduersarius temerè commẽtus est, quamuis enumeret duo principia extra nos, quæ probauimus non esse Deos, sed Deum, & Diabolum, & intra nos duas animas, bonam, & malam. Quare bene dictũ est in apologia, Manichæos admisisse quidem duo principia,

cipia, & duas animas, non tamen duo Deos.

Superest vt respondeamus nonnullis probatiunculis, quas Aduersarius congerit, petitas a locis quibusdam aliquorum Doctorum, & præcipuè ipsius Augustini, mala fide collectis ex eius libris, quos S. Doctor fecit cõtra Manichæos, quibus probare contendit, per Sanctum Augustinum, Manichæorum hæresim admisisse pluralitatem Deorũ. Primus locus ducitur ex libro 15. c. 5. & 6. contra Faustum Manicheum, vbi hęc habet. *Iã mihi ad te est sermo, Manichæa Congregatio fallax, & fallaciis inuoluta*, & alia supprimit callidus Aduersarius. Perge, quæ sequuntur, & te mendacem ostendent. *Itane multinuba tot elemẽtis* (ita sequitur Augustinus) *vel potius meretrix prostituta Demonus, & sacrilegis vanitatibus impregnata, audes matrimonium catholicum, Domini tui crimine impudicitiæ lacerare?* Domini tui, ait, & non dominorum. Supponebant enim Manichæi, Solem & lunam esse naues (vt initio exposui) quibus cælestes virtutes in masculos transformatæ, diuinum semen in feminas transportarent. Sicut æthnici vates

vates olim finxere, per auream pluuiam Iouem ex turris confricibus, ad sinum Danaes fuisse dilapsum. Et ideo subdit *ostende nobis Mœchos tuos;* quorum nomine aliud non comprehendebant, quã vnũ verũ Deum, & Diabolũ, *quorũ impudicitiæ crimine*, per summum nefas matrimonium lacerabant, eo quòd, & Deũ facerent (horresco referens) cum fœminis matrimonio locatis adulterantẽ. Neque hoc contenti, ipsa quoque Dæmonia dicebant, cum fœminis identidẽ commisceri. Quare subdit *Sed fallunt te mala Dæmonia, quæ tecum scortantur, vt concipias mendacia, & parias phantasmata*, sicut faciunt Aduersarij, qui verè videntur Demonijs imprægnati, quandoquidem aliud concipere non ualentes, quàm absurda mendacia, aliud ore, calamo, dictis non pariunt, quàm nigra, & fumosa phantasmata, inuidia, & superbia obstetricantibus. *Cur ergo non respuas* (ad illos conuertar cum Augustino) *diptychium veri Dei, tuis membranis inimicum, quibus tot falsos Deos adamasti, mẽte vagabunda, per figmẽta cogitationum tuarum, quibus omnia poetica mendacia grauiora, & honestiora reperirentur? & c.* Ecce quo-

quomodo Sāctus Doctor explanat Manichæorum idololatriam, scilicet illam fuisse non per cultum externum, quo uerè plures coluerit Deos, sed imo cordis affectu, *adamasti*: cogitationibus prauis *mente vagabunda*: fictionibus intellectus *per figmenta cogitationum tuarum*: tandē æstu quodam, impetuque poetico, *quibus omnia poetica mendacia grauiora, & honestiora reperirentur*. Cōtra hos igitur potius ut perditos amatores, uates iniquos, sacrilegos fabulatores, inuehitur Augustinus, nō ut illos à Deorum cultu retraheret, à quo illos abhorrētes optimè nouerat, cum ipse tot annos fuerit Manichæus, sed ut illorum mentem prauis cogitationibus, & cor inordinatis desiderijs expurgaret. *Audi Israel Dominus Deus tuus, Deus vnus est*, idest unus est, quē diligere debeatis, ut patet ex ijs, quæ subsequūtur *Cum tot Deorum nominibus delectata, turpissimi cordis fornicatione voluteris, &c.* Et ideo illis in mentem redigit, quæ uniuersa Manichæorum phalanx, iuxta suum ritum, in laudem unius ueri Dei soleret, coram omnibus, in suis celebritatibus decantare. *An non recordaris amatorium canticum*

tuum;

rum, vbi describis maximum regnantium regem, sceptrigerum perennem, &c. cuius nomine unicum Deum intelligebant. Huic autem Deo, duodecim æonas, seu secula adiungebant, iuxta numerum mensium, *sequeris enim cantando, & adiungis 12. sæcula floribus connestita, & canoribus plena, & in faciem patris flores suos iactantia, vbi & ipsos duodecim magnos* Deos *profiteris, ternos per quattuor tractus, quibus ille circumcingitur, &c. Adiungis etiam innumerabiles regnicolas, &* Deorũ *agmina, & Angelorũ cohortes. quæ omnia non condidisse dicis* Deum, *sed de sua substantia genuisse.* Exultat hic Aduersarius, ac si his uerbis Manichæos Deorum fecerit adoratores, nec recordatur eorum, quæ supra diximus, Manichæos uidelicet quinque posuisse elementa de regno, & substantia Dei, ex quibus cum malorum permixtione, cũcta componerentur. Ecce Deos, & regnicolas innumerabiles; scilicet omnes illos, quos uel Dei uirtus, uel ipsi Manichęorum electi purgarẽt per cibos ex permixtione malorum, & sola in illis relinquerent elementa bona, adeoque diuinam substantiam, sicut dixerat Angu-

gu-

gustinus in eorum hæresi 46. *ipsam verò boni à malo purgationem, ac liberationem, non solùm per totum mundum, & de omnibus eius elementis virtutem Dei facere dicunt, verùm etiam electos suos per alimenta, quæ sumũt, quibus alimentis Dei substantiam perhibent esse commixtam*. Sicut ergo omnes illi philosophi, qui asserebant, animas rationales fieri per illapsum Diuinitatis, non fuerũt proinde Deorũ adoratores, quamuis possent cõuinci, tot ab illis admitti Deos, quot animas rationales. Ita & Manichæi per hoc quòd ita errarẽt, in cõpositione elementari viuentium, ut possent conuinci, tot ab illis admitti Deos, quot uiuentia, non tamen proinde Gentiles sunt æstimandi. Quòd autem ita debeant intelligi illa uerba *innumerabiles regnicolas*, *Deorum agmina, magnos Deos*, aliaque similia, euidenter colligitur ex ijs, quæ hìc subduntur. *Ita conuinceris innumerabiles Deos colere*. Si explicitè plures colerent Deos, non esset opus illos conuincere, ad hoc fatendum, quod spontẽ utique faterentur, immo profiterentur, ut faciunt Æthnici. Et ideo S. Doctor, optimè cognoscens, Manichæos paula-

tim,

tim, sensim sine sensu, prolabi in idolatriã, ex ignorãtia, & ex aliorũ decæptione, statim subdit. *Hæc tu non intelligis* (scilicet ex huiusmodi stulta compositione resultare Deorum pluralitatem) *non capis; noui plena es, inebriata es, ingurgitata es fabuloso sacrilegio. Digeras aliquando quod exhalas, & te iam obruere talibus desinas, &c.* Et clariùs in libro supracitato de hæresib. ad Quoduult-Deum n.46, loquens de Manichæis, hæc subdit. *Ex his autem suis fabulis, vanis, atque impiis coguntur dicere* (ubi aduertatur ly *coguntur*, non enim hoc explicitè dicunt) *animas bonas, eius, cuius Deus est, eße naturæ.* Sed illud, quod est naturæ diuinæ, est Deus, propter eius summam simplicitatem. Ergo coguntur dicere, animas bonas esse Deos. Et adhùc clariùs in lib. contra fortun. Manich., sub init., ubi hæc habet. *Nam & vos confitemini, Deum esse incorruptibilem, & omninò inuiolabilem, & incoinquinabilem.* Audi, & confundere mendosissimè Aduersari: Quid clarius ad demonstrandũ, Manichæos unum tantùm coluisse Deũ, & non plures? *Sed cum cœperitis cætera exponere* (Ecce unde fluxit occasio, illos gen.

gentilitate donandi) *cogimini, eum corruptibilem, penetrabilem, & coinquinabilē profiteri. Dicitis enim, nescio quam Gentem tenebrarum, aduersùs* Dei *regnum rebellasse, &c.* Et deinde narrat animarum originem ex particulis diuinitatis, *vt nō ex aliqua materia, vel ex nihilo à Deo factæ fuerint, sed ipsa eius omnino substantia per quædam processisse dicatur, &c.* Quod idem sexcentiès confirmat, in omnibus his libris. Profectò sunt adeo clara huiusmodi uerba, ad probandum contra Aduersarium, vt alia prorsùs explicatione non egeant, nisi fortè ipse, ad illa percipienda, Ambrosio indigeat Calepino. Et nè quid dubitationis desit, attendite quæ sequuntur ex eodem librò. *O lasciua, immunda* (loquitur cum hæresi Manichæorum) *sine fronte, adhuc istæ garris, adhuc amplecteris idola cordis tui?* Et quænam sunt hæc idola? forsan Dij? Audi ex Augustino. *Recordare Deos tuos formosos, &* Deas *formosas, præbentes se, vt ardenter concupiscantur, illi à fœminis principibus tenebrarum, & illæ à masculis, quibus excæcatis, in fruendam libidinem, & in suos amplexus inhianter æstuantibus, seruant ab eis illum* Deum *tuum vbique*

 com-

compeditum tanta suorum turpitudine. Ecce idola cordis, fœminis masculos formosos, & masculis fœminas formosas, &c. Quare nomine Deorum, uel idolorum, loquendo de Manichæis, numquam Augustinus intellexit Deos, iuxtà sensum Æthnicorum, qui vt tales adorarentur à Manichæis, sed aliquandò intellexit ea, quæ inordinato cordis affectu ab illis, contrà diuinam legem, expetebantur, in quo sensu etiam diuitiæ, scorta, & huiusmodi à Sanctis Patribus, passim appellantur hoc nomine; Vel intellexit eas animas bonas, siue quæcunque alia, quæ formaliter componerentur e diuina substantia, iuxtà sensum supra explicatum. Quare ex primo isto loco nihil probatur prò Aduersario.

Secundus locus affertur pag. 83. vt deductus ex libro 2. tomi 6. libri titulum reticendo. *Cerdon postea surrexit, qui primus inuenitur dixiße duos* Deos, *vnum bonum, & alterum malum, longè antequàm Hæresis Manichæorum emersißet, quorum in hoc furioso deliramento error est notior*. Ad hunc respōdeo primò, me huiusmodi verba, cum tali ordine, in toto illo 6. tomo nusquam legisse, quamuis exa-

ctissimam

ctissimam fecerim diligentiam, & præcipuè in omnibus secundis libris. Quare probabilissimum censeo, fuisse ab eo mendosè conficta, sicut confinxit alia. Ad hoc autem suspicandum adducor primò, quia libri titulum non posuit, nè fictio detegeretur, cùm cæteroqui sit diligentissimus, quando potest, & sibi expedit, in locis citandis. Quis autem facilè inueniat paucula verba, in magno illo 6. tomo, in quo libri secundi sunt omninò quinq;? Deinde quia omnes hi libri secundi agunt de alijs rebus, non autem de vnitate Dei. Nam in primo secundo scripto contrà Faustum, totus est Augustinus in illo confutando asserente, Christum non esse natum; In secundo secundo probat contra Felicem, Epistolam Manichæi, quam vocabat fundamenti, totam esse falsam plenamque blasphemijs, & maximam partem impendit in probando libero arbitrio, ab illa negato, in quo conflictu de Felice triumphum refert; In tertio secundo probat contrà Aduersarium legis, & Prophetarum, testamentum nouum nullo pacto veteri repugnare, quamuis illud perfecerit, & compleuerit. In 4.
L 2 secundo

secundo contra Maximinum Arrianorũ Episcopum probat, Filium Dei esse Deum, æqualem Deo Patri. In 5. secundo probat indissolubilitatem matrimonij, etiam in casu fornicationis ad Pollentium. Quare non est facilè credendũ, in illis Augustinum diuertisse orationẽ ad Cerdonis errorem, circa Numinis vnitatem. Demùm mihi redditur verosimile ex eo, quòd D. Augustinus fusè prosequens hæresim Cerdonianam, & quid alij de illa senserint, vt exposuimus supra in hæresi 21. ipse tamen siue consideretur vt Iudex, siue vt historicus, neque illam asserit Deorum colentem, neque Deorum inuentricem dualitatis. Quare nè dicamus, sibi minimè constãtem, & non fidelem Augustinum, falsum potius, & mendacem clamemus, elatis vocibus, Aduersarium. Respondeo secundò, vt supra, in expositione hæresis 21., quæ non est opus hìc repetere. Ibi recenseantur; nam fortiter iugulant difficultatem.

Tertiùs locus ducitur ex libro 2. contra Faustum c. 5. *O imperita pestis, & versipellis, vt quid tibi obiicis, quod si quis tibi obiicit, nescit cum quo agat? Neque nos*

vos

nos Paganos dicimus, aut schisma Paganorum, sed habere cum eis quamdam similitudinem, eò quòd multos colatis Deos. Responsio luculentissimè patet ex ijs, quæ sequuntur in eodem loco. *Verùm uos eis esse longè deteriores.* Quomodo deteriores? Hæreticinè sunt, an Gentiles? Si Hæretici. Ergo nō peiores infidelibus, vt probauimus hic art. 3. ex D. Tho. 2. 2. q. 10. ar. 3. vbi infidelitas asseritur grauissimum omnium peccatorum. Si Gentiles. Ergo illis æquales, & non peiores, alioquin idem respectu eiusdem esset æqualis, & inæqualis, quod est absurdū. Vnde ergo dicuntur peiores? Audiatur Augustinus ibidem, *quia illi ea colunt, quæ sunt, sed prò Diis colenda non sunt, sunt enim & idola, sed ad salutem nihil sunt, &c.* Et postquā enumerauerit quæ à Paganis colantur, subdit loquendo de Manichæis. *Vos autem cùm ea colatis, quę omninò non sunt, sed vestrarum fallacium fabularum vanitate finguntur, propinquiores essetis veræ pietati, ac religioni, si saltē Pagani essetis, vel in eorum genere, qui corpora colunt, & si non colenda, sed tamen vera.* Et clariùs infra in c. 9. *Vos Paganis dicimus deteriores, eò tantùm similes, quòd*

multos Deos colitis; eò verò in peiorem partem dissimiles, quòd illi pro Diis ea colunt, quæ sunt, sed Dii non sunt; vos autem colitis ea, quæ nec Dii, nec aliquod sunt, quoniam prorsùs nulla sunt. Et in libro 21. con. Faust. c. 19. *in pluribus autem Diis colẽdis doctrina mendaciloquorum Dæmoniorũm illis* (id est Gentilibus) *persuasit multa idola, vobis autem multa phantasmata*. Ecce rationem, quare sint deteriores, quia videlicet Manichæi verè nihil, præter vnum Deum vt Deum colebant, sed tamen vt vulgus deciperent, non per errorem intellectus, sed per malitiam voluntatis, multa fingebant, fabulosas illas naues, & virtutes rudibus insinuabant, vnde facilè suas possent, decæptis fæminis, explere libidines, vt diximus eorum hæresim enarrantes. Quare huiusmodi figmentis ansam alijs prębebāt idololatrandi, & ipsi in apostasiam priùs, deinde in atheismum etiam præcipitabant, quod vnicum vitium est peius infidelitate, eo quòd omne tollat vestigium Diuinitatis. Et ideo S. Augustinus ait, quòd *essent propinquiores veræ pietati, ac religioni, si essent Pagani*, quia non essent athei; adeoque saltem inter multos,

multos falsos, vnum colerent Deum verum. At Manichæi suis fictionibus, & spurcitijs, eò tandem deueniebant, vt neque plures, neque vnum colerēt Deū; immò ipsum, quem ex lege profitebantur, verum Deum, deprauatione cordis, ad sordes, flagitia, & Dæmonum commercia abijciebant. Vel ergo supponimus, quòd verè illi, iuxta suam sectam, plures coluerint Deos, vel non? Si primum, cū inter ea, quę dicebantur colere pręcipuus esset Sol, vt Deum vtiq; Solē adorassent. Quomodo ergo potuisset inibi verè subdere Augustinus, *Vnde vos veriùs dixerim nec solē istum colere, ad cuius gyrum vestra oratio circumuoluitur?* Si secundum. Ergo quando dicebantur colere Deos, nomen Deorum accipiebatur in alia significatione, quàm ab Æthnicis acciperetur, vt toties diximus, & ly *colere* non significabat latriæ cultū soli debitum Deo, sed veneratione quamdā, seu officiū, sicut solemus illos venerari, à quibus aliquod speramus, vel imploramus bonum, siue vtile, siue delectabile. Et sicut D. Paulus ad Ph. 3. d. 19. loquens de gulosis ait, *quorū Deus venter est*, nō quòd incensū dent vētri, sed quòd

Dei legem contemnant, vt illi in omnibus satisfaciant. In quo sensu omnis peccans vocatur Idololatra, quatenus per peccatum recedit à bono incommutabili, quod est Deus, & accedit ad bonum commutabile, quod est creatura, quam in talibus circumstantijs præfert Deo. Vt autem euidenter pateat, Manichæorum hęresim nō admittere plures Deos, vt Deos, quamuis admitterent illa duo principia, inferiùs afferam eorum confessionem, & fidem relatam ab Augustino.

Ex quibus patet responsio ad alia, quæ opponuntur e Suario, Gualterio, Grauina, Epifanio, & si qui sunt alij ex Recentioribus, qui dicant, *Manichæos pluralitatem quoque Deorum introduxisse, duos coluisse Deos, alterum bonum, & alterum malum, vnum bonum, & alterum malorum auctorem*, & alia huiusmodi. Nam hi omnes locuti sunt, iuxtà sensum D. Augustini, ex quo Manichæorum notitiam traxerunt. Quare eorum auctoritas minimi est facienda prę illa Augustini. His positis, triplici conclusione vniuersam hanc tractationem concludam.

Prima conclusio. *Hæresis Manichæorū non*

bat ipsum Demonem Deum, non more Gentium, sed eo planè modo, quo D. Paul.1.ad Cor.8. dixit *sunt Dii multi, & Domini multi*, videlicet per *errorē Gentiliū, qui multos colebant Deos, non autē per veritatem*, vt explicat D.Tho.1.p.q.11. ar.3.& uidimus in hoc 2.lib.disp.2.ar.1. uel etiā ut (per summū nefas) significarent excellentem aliquam dignitatem, & prærogatiuam ipsius Hylè, in ordine ad nostras malas operationes, quarum dicebant esse principium, sicut sæpe fit ab ipsa sacra scriptura, ut docet cathechismus Romanus, in quo cōtinetur uera doctrina catholica, & Romana, Concilij Tridentini, Pijque Quinti Pontificis maximi iussu editus, & tot alijs deinde Romanis Pontificibus approbatus. Videatur in 1.p.sect.1.n.8., ubi hæc habētur. *Neque verò nos moueat, quòd interdùm sacræ litteræ Dei nomē creatis etiā naturis imponunt. Nam quòd Prophetas, & Indices Deos appellarunt, non Gentium more factum est, sed quadam loquendi consuetudine* (seriò aduertantur uerba sequentia) *significare uoluerunt excellentem aliquam uirtutem, uel functionem, quæ à Dei munere illis concessa sit.* Vnde patet,

L 6 quòd

tim, ſenſim ſine ſenſu, prolabi in idolatriã, ex ignorãtia, & ex aliorũ decæptione, ſtatim ſubdit. *Hæc tu non intelligis* (ſcilicet ex huiuſmodi ſtulta compoſitione reſultare Deorum pluralitatem) *non capis, noui plena es, inebriata es, ingurgitata es fabuloſo ſacrilegio. Digeras aliquando quod exhalas, & te iam obruere talibus deſinas, &c.* Et clariùs in libro ſupracitato de hæreſib. ad QuoduultDeum n.46, loquens de Manichæis, hæc ſubdit. *Ex his autem ſuis fabulis, vanis, atque impiis coguntur dicere* (ubi aduertatur ly *coguntur*, non enim hoc explicitè dicunt) *animas bonas, eius, cuius Deus eſt, eſſe naturæ.* Sed illud, quod eſt naturæ diuinæ, eſt Deus, propter eius ſummam ſimplicitatem. Ergo coguntur dicere, animas bonas eſſe Deos. Et adhùc clariùs in lib. contra fortun. Manich., ſub init., ubi hæc habet. *Nam & vos confitemini, Deum eſſe incorruptibilem, & omninò inuiolabilem, & incoinquinabilem.* Audi, & confundere mendoſiſſimè Aduerſari: Quid clarius ad demonſtrandũ, Manichæos unum tantùm coluiſſe Deũ, & non plures? *Sed cum cæperitis cætera exponere* (Ecce unde fluxit occaſio, illos

gen.

gentilitate donandi) *cogimini, eum corruptibilem, penetrabilem, & coinquinabilē profiteri. Dicitis enim, nescio quam Gentem tenebrarum, adversùs* Dei *regnum rebellasse, &c.* Et deinde narrat animarum originem ex particulis diuinitatis, *vt nō ex aliqua materia, vel ex nihilo à* Deo *factæ fuerint, sed ipsa eius omnino substantia per quadam processisse dicatur, &c.* Quod idem sexcentiès confirmat, in omnibus his libris. Profectò sunt adeo clara huiusmodi uerba, ad probandum contra Aduersarium, vt alia prorsùs explicatione non egeant, nisi fortè ipse, ad illa percipienda, Ambrosio indigeat Calepino. Et nè quid dubitationis desit, attendite quæ sequuntur ex eodem librò. *O lasciua, immunda* (loquitur cum hæresi Manichæorum) *sine fronte, adhuc ista garris, adhuc amplecteris idola cordis tui?* Et quænam sunt hæc idola? forsan Dij? Audi ex Augustino. *Recordare* Deos *tuos formosos, &* Deas *formosas, præbentes se, vt ardenter concupiscantur, illi à fæminis principibus tenebrarum, & illa à masculis, quibus excæcatis, in fruendam libidinem, & in suos amplexus inhianter æstuantibus, seruant ab eis illum* Deum *tuum vbique*

compeditum tanta suorum turpitudine. Ecce idola cordis, fœminis masculos formosos, & masculis fœminas formosas, &c. Quare nomine Deorum, uel idolorum, loquendo de Manichæis, numquam Augustinus intellexit Deos, iuxtà sensum Æthnicorum, qui vt tales adorarentur à Manichæis, sed aliquandò intellexit ea, quæ inordinato cordis affectu ab illis, contrà diuinam legem, expetebantur, in quo sensu etiam diuitiæ, scorta, & huiusmodi à Sanctis Patribus, passim appellantur hoc nomine; Vel intellexit eas animas bonas, siue quæcunque alia, quæ formaliter componerentur e diuina substantia, iuxtà sensum supra explicatum. Quare ex primo isto loco nihil probatur prò Aduersario.

Secundus locus affertur pag. 83. vt deductus ex libro 2. tomi 6. libri titulum reticendo. *Cerdon postea surrexit, qui primus inuenitur dixisse duos Deos, vnum bonum, & alterum malum, longè antequàm Hæresis Manichæorum emersisset, quorum in hoc furioso deliramento error est notior*. Ad hunc respôdeo primò, me huiusmodi verba, cum tali ordine, in toto illo 6. tomo nusquam legisse, quamuis exa-

ctissimam fecerit diligentiam, & præcipuè in omnibus secundis libris. Quare probabilissimum censeo, fuisse ab eo mendosè conficta, sicut confinxit alia. Ad hoc autem suspicandum adducor primò, quia libri titulum non posuit, nè fictio detegeretur, cùm cæteroqui sit diligentissimus, quando potest, & sibi expedit, in locis citandis. Quis autem facilè inueniat paucula verba, in magno illo 6. tomo, inquo libri secundi sunt omninò quinq; ? Deinde quia omnes hi libri secundi agunt de alijs rebus, non autem de vnitate Dei. Nam in primo secundo scripto contrà Faustum, totus est Augustinus in illo confutando asserente, Christum non esse natum; In secundo secundo probat contra Felicem, Epistolam Manichæi, quam vocabat fundamenti, totam esse falsam plenamque blasphemijs, & maximam partem impendit in probando libero arbitrio, ab illa negato, inquo conflictu de Felice triumphum refert; In tertio secundo probat contrà Aduersarium legis, & Prophetarum, testamentum nouum nullo pacto veteri repugnare, quamuis illud perfecerit, & compleuerit. In 4.

secundo contra Maximinum Arrianorũ Episcopum probat, Filium Dei esse Deum æqualem Deo Patri. In 5. secundo probat indissolubilitatem matrimonij, etiam in casu fornicationis ad Pollentium. Quare non est facilè credendũ, in illis Augustinum diuertisse orationẽ ad Cerdonis errorem, circa Numinis vnitatem. Demùm mihi redditur verosimile ex eo, quòd D. Augustinus fusè prosequens hæresim Cerdonianam, & quid alij de illa senserint, vt exposuimus supra in hæresi 21. ipse tamen siue consideretur vt Iudex, siue vt historicus, neque illam asserit Deorum colentem, neque Deorum inuentricem dualitatis. Quare nè dicamus, sibi minimè constãtem, & non fidelem Augustinum, falsum potius, & mendacem clamemus, elatis vocibus, Aduersarium. Respondeo secundò, vt supra, in expositione hæresis 21., quæ non est opus hic repetere. Ibi recenseantur; nam fortiter iugulant difficultatem.

Tertiùs locus ducitur ex libro 2. con. tra Faustum c. 5. *O imperita pestis, & versipellis, vt quid tibi obiicis, quod siquis tibi obiicit, nescit cum quo agat? Neque nos*

vos

vos Paganos dicimus, aut schisma Paganorum, sed habere cum eis quamdam similitudinem, eò quòd multos colatis Deos. Responsio luculentissimâ patet ex ijs, quæ sequũtur in eodem loco. *Verùm uos esse longè deteriores.* Quomodo deteriores? Hæreticinè sunt, an Gentiles? Si Hæretici. Ergo nõ peiores infidelibus, vt probauimus hìc art. 3. ex D. Tho. 2. 2. q. 10. ar. 3. vbi infidelitas asseritur grauissimum omnium peccatorum. Si Gentiles. Ergo illis æquales, & non peiores, alioquin idem respectu eiusdem esset æqualis, & inæqualis, quod est absurdũ. Vnde ergo dicuntur peiores? Audiatur Augustinus ibidem, *quia illi ea colunt, quæ sunt, sed prò Diis colenda non sunt, sunt enim & idola, sed ad salutem nihil sunt, &c.* Et postquã enumerauerit quæ à Paganis colantur, subdit loquendo de Manichæis. *Vos autem cùm ea colatis, quę omninò non sunt, sed vestrarum fallacium fabularum vanitate finguntur, propinquiores essetis veræ pietati, ac religioni, si saltẽ Pagani essetis, vel in eorum genere, qui corpora colunt, & si non colenda, sed tamen vera.* Et clariùs infra in c. 9. *Vos Paganis dicimus deteriores, eò tantùm similes, quòd*

multos Deos colitis; eò verò in peiorem partem dissimiles, quòd illi pro Diis ea colunt, quæ sunt, sed Dii non sunt; vos autem colitis ea, quæ nec Dii, nec aliquod sunt, quoniam prorsùs nulla sunt. Et in libro 21. con. Faust. c. 19. *in pluribus autem Diis colẽdis doctrina mendaciloquorum Dæmoniorum illis* (id est Gentilibus) *persuasit multa idola, vobis autem multa phantasmata*. Ecce rationem, quare sint deteriores, quia videlicet Manichæi verè nihil, præter vnum Deum vt Deum colebant, sed tamen vt vulgus deciperent, non per errorem intellectus, sed per malitiam voluntatis, multa fingebant, fabulosas illas naues, & virtutes rudibus insinuabant, vnde facilè suas possent, decæptis fæminis, explere libidines, vt diximus eorum hæresim enarrantes. Quare huiusmodi figmentis ansam alijs prębebãt idololatrandi, & ipsi in apostasiam prius, deinde in atheismum etiam præcipitabant, quod vnicum vitium est peius infidelitate, eo quòd omne tollat vestigium Diuinitatis. Et ideo S. Augustinus ait, quòd *essent propinquiores veræ pietati, ac religioni, si essent Pagani*, quia non essent athei; adeoque saltem inter

multos,

multos falsos, vnum colerent Deum verum. At Manichæi suis fictionibus, & spurcitijs, eò tandem deueniebant, vt neque plures, neque vnum colerēt Deū; immò ipsum, quem ex lege profitebantur, verum Deum, deprauatione cordis, ad sordes, flagitia, & Dæmonum commercia abijciebant. Vel ergo supponimus, quòd verè illi, iuxta suam sectam, plures coluerint Deos, vel non? Si primum, cū inter ea, quę dicebantur colere, pręcipuus esset Sol, vt Deum vtiq; Solē adorassent. Quomodo ergo potuisset inibi verè subdere Augustinus, *Vnde vos veriùs dixerim nec solē istum colere, ad cuius gyrum vestra oratio circumuoluitur?* Si secundum. Ergo quando dicebantur colere Deos, nomen Deorum accipiebatur in alia significatione, quàm ab Æthnicis acciperetur, vt totiès diximus, & ly *colere* non significabat latriæ cultū soli debitum Deo, sed veneratione quamdā, seu officiū, sicut solemus illos venerari, à quibus aliquod speramus, vel imploramus bonum, siue vtile, siue delectabile. Et sicut D. Paulus ad Ph. 3. d. 19. loquens de gulosis ait, *quorū Deus venter est*, nō quòd incensū dent vētri, sed quòd

bat ipsum Demonem Deum, non more Gentium, sed eo planè modo, quo D. Paul.1.ad Cor.8. dixit *sunt Dii multi, & Domini multi*, videlicet per *errorē Gentiliū, qui multos colebant Deos, non autē per veritatem*, vt explicat D.Tho.1.p.q.11. ar.3.& uidimus in hoc 2.lib.disp.2.ar.1. uel etiā ut (per summū nefas) significarent excellentem aliquam dignitatem, & prærogatiuam ipsius Hylè, in ordine ad nostras malas operationes, quarum dicebant esse principium, sicut sæpe fit ab ipsa sacra scriptura, ut docet cathechismus Romanus, in quo cōtinetur uera doctrina catholica, & Romana, Concilij Tridentini, Pijque Quinti Pontificis maximi iussu editus, & tot alijs deinde Romanis Pontificibus approbatus. Videatur in 1.p.sect.1.n.8., ubi hæc habētur. *Neque verò uos moueat, quòd interdùm sacræ litteræ Dei nomē creatis etiā naturis imponunt. Nam quòd Prophetas, & Iudices Deos appellarunt, non Gentium more factum est, sed quadam loquendi consuetudine* (seriò aduertantur uerba sequentia) *significare uoluerunt excellentem aliquam uirtutem, uel functionem, quæ à Dei munere illis concessa fit*. Vnde patet,

quòd etiamsi aliquis ex Manichæis, aliquandò Dei nomen tribuerit uel Hyle, uel animæ, non sequi tamen ex hoc, fuisse ab illo, utrumque, uel alterutrum ex his, ut Deum adoratum, more Gētium, sed fuisse usurpatū nomen *Deus*, ad aliud diuersissimum significandum. Hoc posito, ita ratiocinor. Hæresis Manichæorū est illa, quam sequuntur Manichæi. Sed Manichæi apertè profitentur, se non colere duos Deos, sed unum tantùm. Ergo hæresis Manichæorum non admittebat duos Deos, seu Deorum pluralitatem. Maior, & consequentia sunt euidentes. Minor patet ex Fausti confessione relata, & admissa, ut propria Manichæorū, ab Augustino, in loco citato, qui cum tot annos fuerit Manichæus, omnium optimè, eorum cognoscebat errores. Ergo uera est nostra conclusio.

Dices. Epiphanius ait tom. 2. con hæret. lib. 2. illa principia fuisse duos Deos, quod idem fusè, multiplici rationum cuneo, eodem libro prosequitur Augustinus, Faustum cōuincens post allatam confessionem. Ergo hoc negantes, mentiuntur Manichæi. Distinguo antecedēs, Epifanius, & Augustinus aiunt; hæc duo prin-

non admittebat Deorum multiplicitatem. Probatur primò ex confessione spontanea facta per Faustum propugnatorē, & Manichæorum Achillem, contra quē D. Aug. tres supra triginta composuit libros. Quid autem dicit perditus hic, & infamis hæreticus? Audiatur Augustinus, initio libri primi supra vigesimū, contra ipsum scripti. *Faustus dixit, Vnus Deus est, an duo?* & sibi respōdet, *Planè vnus.* Et deindè fingēs, sibi obijci. *Quomodo ergo vos Deos asseritis?* Respōdet indignabūdus, *Nūquā in nostris assertionibus duorū Deorū auditū est nomen.* Et vt occurrat ijs, qui sibi obijcere poterant de duobus principijs, ait. *Sed tu vnde hoc suspicaris cupio scire;* & fingens sibi respōderi. *Quia bonorū, & malorum duo principia traditis,* statim subdit *duo principia cōfitemur, sed vnum ex his Deum vocamus, alterum Hylen, aut, vt cōmuniter, & vsitatè dixerim, Dæmonem.* Vbi obiter aduerte, quàm verè, & solidè dictum sit in apologia, *à Manichæis fuiße quidem admissa duo principia, non tamen duos Deos, vt scripsit Augustinus, quia videlicet eorum vnum dicebant esse Deum, & aliud* Dæmonem. Hoc autem Faustus probare conatur multis

dicente, dari à Deo suppositum absolutum omnibus commune relatiuis; quamuis omne diuinū sit Deus, & quæcūque diuinorum multiplicitas, sit multiplicitas diuinitatis. Quod idem probari posset infinitis alijs huiusmodi argumentis. Ergo per hoc quòd hi Patres contenderint conuincere Manichæos, ex admissione duorum principiorum, admittendam quoque ab illis Deorum pluralitatem, nō proinde illam de facto Manichæi formaliter admiserunt.

Probatur demum argumento hinc deducto, & supra insinuato, quia si Manichei plures de facto admisissent Deos, non fuisset opus tot rationibus illos urgere, ut hoc faterentur; sicut non est opus urgere Turcas, ad fatendum Mahometem, &c. Ergo ideo opus rationibus fuit, quia Deos illi neutiquam admisere.

Secunda conclusio. *Quicunque ex Manichæis plures admisit Deos, recessit à Manichæis.* Probatur ex dictis. Nam ille recedit ab aliqua secta, qui aliter sentit quàm sentiant sectarij. Sed Manichæi malè sentiebant contra pluralitatē Deorum. Ergo quicunque illam admisit, recessit

cessit ab illis. Probatur maior, quia si aliquis baptizatus iudaizet, ut multi faciebant tempore nascentis Ecclesiæ, nō illicò iudaizare est proprium Christianorum, sed illius hominis peculiaris, qui ex hoc potissimùm capite segregatur ab alijs. Et quicūque aliter sentit, quàm Romana sentit Ecclesia, quamuis fuerit olim catholicus, illicò expungitur e Catholicis; Ita qui diuersam tenet fidem à Manichæi principijs, huius impiæ, & perfidæ sectæ legislatoris, non est Manichæus. Minorē probauimus in prima conclusione. Ergo à primo ad ultimum, neque umquam Manichæi, ut tales formaliter, plures admisere Deos, neque umquam ut suum agnouere, admittente pluralitatem Deorum. Et si aliquis ex illis admisit hunc errorem, non fuit per illū hæreticus, sed per alios, quos supra narrauimus, admissos tāquàm proprios à secta Manichæorum. Quare uel nullus Manichęus umquàm illam admisit, uel ille ex hoc ipso non fuit amplius hæreticus Manichæus.

Tertia conclusio. *Nullus hæreticus ut hæreticus formaliter, & in toto rigore scholastico, uerè plures admisit Deos.* Probatur ex.

principia fuisse duos Deos, & ut Deos habita à Manichæis, nego: fuisse quidem Deos, sa tem fuisse illis attributa aliqua prædicata diuina, non tamen ut Deos habita à Manichæis, concedo antecedẽs; & nego consequentiam. Hic enim non quæritur, an illa principia, iuxta prædicata, seu nomina sibi attributa, intrinsecè fuerint Dij, sed an fuerint ambo à Manichæis diuinitatis cultu donata? Sancti Patres numquam asserunt, illa ut Deos à Manichæis fuisse culta, de quo est quæstio, & quod Aduersarius numquam probat, sed solùm illa fuisse talibus attributis dotata, quæ quicunque concesserit, per uarias cõsequentias, potest adigi ad asserendum, illa esse Deos. Hoc autem nõ est id, de quo disputatur, adeoque facilè à nobis conceditur, quia non impugnat nostram conclusionem.

Probatur secundò, quia sicut qui admittit prędeterminationem physicam, non dicitur formaliter nostram negare libertatem, quamuis possit contra illũ euinci libertatis ablatio, ex illius positione, ut fusè prosequitur Molina cũ suis. Ita neque dicitur Manichæus admittere plures Deos, per hoc quòd aliquo id admittat,

mittat,

ex dictis, quia uel hic homo conformabatur principijs suæ sectæ, uel non? Si primum. Ergo eius secta erat non hæresis, sed infidelitas, uel apostasia, quæ scilicet admitteret Deorum pluralitatẽ; cùm supra probauerimus in art. 3. non posse simul cōiungi hæresim ut hæresim formaliter, cum idololatria; & per consequens hic nō fuit Hæreticus, sed apostata, uel infidelis, de quo facilè concedimus quidquid uult Aduersarius. Si secundum. Ergo si prius hic homo erat hæreticus, non permansit talis; quia nō cōformabatur principijs suæ hęresis, sed factus est alterius sectæ peioris, uidelicet uel apostasiæ, uel infidelitatis, uel atheismi. Ergo numquam hęreticus formaliter uerè plures admisit Deos. Recēseātur quę supra diximus in tota hac disputatione, & omnia erũt euidẽtissima.

Dices, hæresis habet rationem partis respectu apostasiæ, & hæc respectu infidelitatis. Sed omnis pars potest cōiungi cum suo toto, siue actuali, ut corpus cũ homine, siue potestatiuo, ut species cũ genere. Ergo tã hæresis potest coniungi cum apostasia, quàm apostasia cum infidelitate.

Di-

Distinguo maiorem: hæresis ut hæresis formaliter, habet rationem partis respectu apostasiæ, nego: hæresis materialiter, & obiectiuè sumpta, habet rationem partis, respectu apostasiæ, concedo maiorem. Et concessa minori, distinguo consequens. Ergo hæresis formaliter potest coniungi cum apostasia, nego; hæresis materialiter, & obiectiuè potest coniungi cum apostasia, cõcedo consequentiam; & idem dico de apostasia, respectu infidelitatis. Prò intelligentia, notandum est, in hæresi duo posse considerari, uidelicet malitiam, quæ habet rationem actus, seu formæ, & obiectum, quod habet rationem potentiæ, seu materiæ. Si consideretur, secundùm malitiam, cùm illa sit specie distincta à malitia apostasiæ, non est illius pars. Sin autem consideretur secundùm obiectum, quia in hoc non differt ab apostasia, nisi secundùm magis, & minus, quatenùs uidelicet illa recedit à parte, hæc autem à tota fide, habet respectu illius rationem partis, saltem impropriè. Dixi *impropriè*, quia uerè obiectum hæresis non est hęresis; sicut obiectum apostasię non est apostasia. Et in hoc sensu tãtùm

diximus,

diximus, hæc duo uitia se habere ad inuicem ut totum, & partem art. 3. huius disputationis.

Vrgebis primò, malitia hæresis subordinatur malitiæ apostasiæ. Ergo etiam formaliter sumpta habet rationem partis respectu illius. Nego antecedēs. Sicut enim liberalitas non subordinatur prodigentiæ, cum qua habet obiectum cōmune; Ita neque hæresis apostasiæ. Et ratio est, quia tàm uirtutes, quàm uitia constituuntur formaliter in esse talia, per obiecta formalia, non autem per obiecta materialia. Quamuis ergo habeant communicationem in obiectis materialibus, si tamen illam etiam non habeant in formalibus, non erunt ad inuicem subordinata.

Vrgebis secundò. Parricidium continet in se totam malitiam simplicis homicidij, & præterea aliquod aliud. Ergo etiam apostasiā continet totam malitiā hæresis, & præterea aliquid aliud. Distinguo antecedens, continet illam malitiam formaliter, nego: virtualiter, concedo antecedens; Et eodèm modo distinguo consequens, videlicet ab apostasia includi virtualiter hæresim, & non forma-

formaliter, quod sponte concessimus vel in ipsa apologia.

Ex his omnibus collige quid sit dicēdū de hac propositione *Plures Dii sunt possibiles*, & de omni alia simili propositione affirmante vnius, vel pluriū possibilitatem Deorum. Hæc enim propositio, vtpote quæ destruit diuinam vnicitatem, quam statuimus esse primum fundamentum fidei, formaliter, & in toto rigore scholastico, est quidem falsissima, & impia, non tamē est hæretica, quia continet errorem destruentem totam fidem, sed est formaliter tantùm gentilis, æthnica, seu apostatica, & solū impropriè, & virtualiter dici potest hæretica, quatenùs videlicet qui totum negat, negat etiam omnes, & singulas partes, si velimus rigorosè, & scholasticè, singulis propositionibus malè sonantibus, suam tradere debitam censuram. Quòd si exinde in admirationem erumpas, eo quia plus concedam, quàm tu velles, concedendo scilicet apostasiam, vt hæresim non concedàm, in admittente talem propositionem; Si, inquàm, ex hoc in admirationem erumpas, tuam magis, magisque patefacis ignorantiā, quæ

quæ admirationis est partus. Et ratio est clarissima, nam hic non quærimus, an hæresis sit peior, siue præponderet in ratione malitiæ apostasiæ, contra quod faceret latronis, & deceptoris exemplum à te allatum, cæteroqui ineptissimum ad rē præsentem, sed quærimus, vtra labe inquinaretur ille formaliter, & rigorosè, qui talē vt veram admitteret propositionem, hæresis nè, an apostasiæ? præscindendo a merito, siue demerito vnius præ alia, de quo in præsentia quæstionem non facimus.

ARTICVLVS QVINTVS

An liceat Doctoribus priuatis recedere in rebus fidei, & in modo loquendi ab Ecclesiæ Doctoribus?

Parergon quartum.

DVrum visum est multis, quòd ego Doctor priuatus, & meo quidem iudicio inter alios minimus, art. 2. huius disp. tam facilè recesserim à D. Tho., necnon à D. Hilario, in acceptione illius termi-

termini *unicus*,& *unicitas*. Multa ibi dixi ad hanc rem,& tandem in fine articuli, exactiorem promisi tractationem. Vt ergo illam propriùs aggrediar, aduerto primò,me hìc non agere de sacris Prophetis,Euangelistis,epistolis Apostolorum,alijsque contentis in sacro codice, vtriusque testamenti. Hos enim nomine Doctorum non comprehendo, cùm potius magistros fidei dixerim, & tubas Spiritus Sancti, quibus in nos emanarũt diuinæ oracula fidei, & veritatis. His etenim contradicere, hæreticum puto, quippe quibus contradici non possit; quin ipsi Veritatis origini per illôs loquenti apertè contradicatur. Loquor ergo de Augustino, Gregorio, Ambrosio, Hyeronimo, Athanasio, Cyrillo, Chrysostomo, Hylario, & alijs huiusmodi,qui dicuntur Ecclesiæ Doctores, & vt tales fuerunt ab illa approbati.

Aduerto secundò,me nè verbum quidem dicere de ijs,quæ hi Auctores,Deo (vt par est credere)inspirante,scripserũt de fide catholica, & damnatione hæreticorum. De his enim extant aurea illa uerba quinti Concilij, seu synodi relata à D.Tho.4.con.Gen. c. 24. & à Card.

de

de Turrecrem.in c.noli. dist. 9. videlicet *sequimur per omnia Sanctos Patres, & Doctores Ecclesiæ Athanasium, Gregoriū theologum, & Nicenum, Ambrosium, Augustinum, Theophilum, Ioannem Constantinop., Cyrillum, Leonem probum, & suscipimus omnia, quæ de recta fide, & damnatione hæreticorum scripserunt*. Quare in huiusmodi rebus his contradicere, esset vel temerarium, vel hæreticum. Loquor ergo de his, quæ tales Doctores dixerūt in rebus disputatis, & opinati sunt, etiā circa ipsa mysteria fidei, eorumque terminorum acceptionem, quibus illa exprimuntur.

Prima conclusio. *Omnes hi doctores potuerunt in his rebus errare, adeoque eorū dicta non habent infallibilem ueritatem*. Secunda pars probatur ex veritate primæ. Quomodo enim potest eius dictum esse infallibiliter verum, quod potest esse falsum? Siquidem infallibilitas dicit impotentiam ad falsitatem. Et ideo D. Aug. ait lib. 1. de doct. Christ. c. 7. *titubat fides, si sacrarum scripturarum uacillat auctoritas*; idest si possit aliquando diuinæ locutioni subesse falsum. Prima pars probatur primò, quia solus Deus habet huius-

huiusmodi infallibilem veritatem, de quo dicitur *ego ueritas*. Ergo omnes alij possunt errare. Cum ergo sola sacra scriptura sit locutio Dei, illa sola est infallibiliter vera. Et ideo D. Augustinus in c. *ego solis* dist. 9. ait, *ego solis scripturæ libris, qui iam canonici appellantur, didici hunc timorem, honoremque deferre, ut nullum horum authorem scribendo errasse firmissime credam.* Quod idem confirmat in c. *quis nesciat*, distin. 9. *de sacra scriptura omninò dubitari, ac disceptari nō potest, utrùm uerum, uel utrùm rectum sit quidquid in ea scriptum sit, uel constiterit esse, secùs in scriptis aliorum Doctorum*. Et infra *negare non possum, nec debeo sicut in ipsis maioribus, idest scriptis maiorum, ita multa esse in tam multis meis opusculis, quę possunt iusto iudicio, & nulla temeritate culpari*. Et adhùc inferiùs clariùs, versicul. *alios auth.* hæc subdit *unde dicere, hos authores potuisse errare, nō est inconueniēs, prout ipsi fatentur*, & alibi in eodem cap. d. 9. *Noli ergo frater contra diuina tam multa testimonia colligere, ex Episcoporum scriptis, siue nostrorum, siue Hylarii, siue Cypriani, &c. Nam hoc genus litterarum ab authoritate canonum distinguendum est.*

Non

Non enim sic leguntur, tamquam ita ex eis testimonium proferatur, ut contra sentire non liceat. Quod idem confirmat Turrecrem. in c. *si ad scripturas*, l. 2. §. *contrarium*, c. de veter. iure enuclea. his verbis *opuscula ergo Sanctorum cum reuerentia suscipienda sunt, non tamen in omnibus suis sententiis obligant ad sic firmiter tenendum, quin liceat eis contradicere.*

Probatur secundò, quia quicunque errauit, potuit errare. Sed omnes huiusmodi Doctores in multis errarũt. Ergo omnes errare potuerunt. Maior probatur, quia valet semper consequentia ex actu ad potentiam. Consequentia est euidens in *Barbara.* Minorem infrà probabo, in sequenti conclusione.

Secunda conclusio. *Omnes hi Doctores, saltem plerique, in multis de facto errarũt.* Probatur primò, quia si numquam errassent, de suis scriptis vt erroneis, numquam dubitassent. Siquidem dubium, seu timor, quem quis habet, nè erret, prouenit remotè ex errandi potentia, quã experitur in se, & proximè ex ipsa experientia, quòd uel ipse, uel alius sibi similis errauerit aliquando. Atqui omnes hi Doctores, nè fortè in errorem

M inci-

inciderent, formidabant. Ergo omnes, saltem plerique, in multis errarunt. Maiorem suppono ex ethicis. Minorem probo ex ipsorum confessione Doctorum. Ait enim Augustinus in 1. de Trin. c.2. *nec pigebit me, sicubi hæsito quærere, nec pudebit me, sicubi erro, discere*. Ad quẽ locũ ait Guido Carmelita Episcop. Maior. in lib. de hæres. quòd *licèt Augustinus in his dictis loquatur humiliter, scilicet quòd in libris suis errare potuit, & aliquando errauit, loquitur tamen veracitèr, & idem intelligere possumus de aliis*, vt probatur ex ipso Aug. in c. *ego solis* dist. 9. et. c. *secundũ* dist. 19. ubi hęc habet *alios autẽ scriptores ita lego, vt quãtalibet sanctitate, quantaue doctrina polleant, non ideo verũ putẽ, quia ipsi ita senserũt, sed quia mihi per alios authores, vel canonicas, vel probabiles rationes, quod à vero non exhorret, persuadere potuerunt. Et sic non est considerandum quis dicat, sed quid dicatur*. Item Aug. in c. *neque quorumlibet* dist. 9. ait *neque quorũlibet disputationes* (idest expositiones, sicut glossa interpretatur) *quamuis catholicorum, & laudatorum hominũ, velut scripturas canonicas habere debemus, vt nobis non liceat (salua honorificentia, quæ illis*

illis debetur hominibus) aliquid in eorum scriptis improbare, atque respuere, si fortè inueniremus, quòd aliter senserint, quàm veritas habet. Et alibi *errare potero, sed hæreticus non ero*.

Probatur secundò, quia D. Augustinus librum integrum edidit retractationum, in quo respuit infinitos errores, in quos inciderat, & *forsan si plus vixisset*, (vt ait Guido Carmelita in hūc locum) *plura retractasset*. Vt proinde ipse Aug. lib. 1. de Trin. c. 1. de se dicat *magis optabo à quolibet reprehendi, quàm siue ab errante, siue ab adulante laudari. Laudator enim, & errans confirmat errorem, adulator verò allicit ad errorem. Emendabit me ergo Iustus in misericordia, & arguet me*. Et in lib. de vera relig. c. 3. ait *Quidquid in meis libris erroris inuenitur, mihi, quidquid autem verum, vni omnium remuneratori, & largitori Deo tribuatur*. Ergo supponit, se in multis errasse. Eamdē cēsurā tribuit D. Anselmo Robertus Olchot vir sapiētia nulli secūdus, penès Albert. q. 30. n. 52. & Picum q. 1. suæ apol. vbi ait *quòd sanctus vir Anselmus in multis fuit decæptus, propter ignorantiam logices*. Et ideo eius processum in libro *cur Deus*

homo, penès eumdem eodem loco, ferè destruit vt falsitatis plenũ Scotus Duns in 3.sent. Et Guglielmus Ocham arguit Dyonisium falsitatis, in materia de actibus hyerarchicis, vt idem refert. Ergo Anselmus, & Dyonisius, horum iudicio, de facto errarunt in aliquo.

Probatur tertiò, quia impossibile est, inter duos asserentes contradictoria, vtrumque verum asserere, cùm alteruter necessariò falsum dicat. Sed nullus est Doctor, cui alius in aliquo non contradicat, vel ab ipso alijs nõ contradicatur in aliquo. Ergo nullus est Doctor, qui vel ipse falsum non dicat, vel alium sibi contradicentem non arguat falsitatis. Maior patet ex Phil.4. met. & probauimus in Organo philosophico. Minorem infrà probabo, conclusione tertia. Cùm ergo conclusio sit euidens, erit etiam euidens, omnes, vel plerosque Ecclesiæ Doctores in multis errasse.

Tertia conclusio. *Multi Doctores, nè dicam omnes, ab aliis in aliquo discordarũt; immò multi in multis sibi minimè constantes fuerunt*. Probatur prima pars inductione multorum, in quibus Doctores, quamuis Sancti, opinati sunt inter sese contra-

contradictoria. Primum sit illud, quod affertur in can. *vnicus* c. *Acatius* dist. 26. inter Hyeronimum, Augustinum, & Ambrosium. Nā D. Hyeronimus putat in Epistola ad Oceanum, quòd si aliquis habuit vnam, aut plures vxores ante baptismum, potest, immo debet ad Episcopatum promoueri, si post baptismum fuerit monogamus; nam putat, bigamiam auferri per baptismum. Contra illum insurgunt D. Augustinus in libro de bono coniugali, & D. Ambrosius in lib. de officijs, D. Hyeronimum in hoc arguentes vt malè sonantem, quam censurā dat illi etiam glossa, & cū ea omnis aliorum omniū cohors Theologorū, Hyeronimi opinionē vt falsam, & malè sonantem damnātium. Vel ergo Hyeronimus, vel alij omnes falluntur.

Secundum petitur ex ijsdē Hyeronimo, & Augustino, quorū primus super illud Abacuc *mundi sunt oculi tui* negat, singulos Angelos fuisse præpositos singulis corporalibus creaturis, quod idē contra ipsū affirmatur à secundo quæst. 83., cui subscribunt Origenes, & Damascenus. Tertium itidem ex ijsdem; nam Augustinus ait in lib. 20. ciuit. Dei c. 20.

Sanctos, qui inuenientur viui in fine mũdi, omnes morituros, quam opinionem amplectitur etiam vt propriam totius Ecclesiæ D. Tho. lect. 8. supra 1. Corinth. 15. & 1. 2. q. 81. ar. 3. ad primum dicens, *probabiliùs, & conuenientiùs tenetur, quòd omnes illi, qui in aduentu reperientur, morientur, & post resurgent.* Et Riccardus in 4. dist. 43. q. 5. ait, *opinionem oppositam videri contra sacram scripturam.* Nam ad Hebreos 9. dicitur *statutum est hominibus semel mori.* Cùm ergo nullus excipiatur à statuto, omnes sunt morituri. Et ideo 1. ad Corinth. 15. habetur *omnes quidem resurgemus*, videlicèt (vt ait glossa) post mortem obitam. Nam *resurrectio* (vt ait Damascen. lib. 4.) *est eius, quod cecidit per mortem perfecta reparatio*; Et S. Tho. in 3. p. q. 54. ar. 3. inquit *resurrectio est reparatio à morte in vitam.* Quod adeo censetur verum penès Patres, vt nè ipsam quidem Sanctissimam Deiparam excæperint ab hac lege. Et Albertinus q. 18. n. 4. dicit, *hanc assertionem, quòd ipsa Domina non fuit mortua, non solùm esse scandalosam, sed etiam sapiẽtem hæresim*, quod multiplici ratione probare contendit. ex 2. Reg. 14. *omnes morimur*: Eccl. 8. *omnes,*

nes in corruptionē, &c. psal.88, *quis est homo qui viuet, & non videbit mortē?* Et fundatur in eo, quòd non videatur conueniens, matrem non mori, dum filius est mortuus, vt asserit Augustinus ser. 2. de Assumpt. His tamen non obstantibus, opinioni tam solidæ, & vt ita dicam, catholicæ, apertè contradicit D.Hyeronimus ad Marcellam de quinque quæst., asserens, *omnes sanctos, qui in fine mundi inuenientur, non morituros, sed viuos assumendos*, vt ipsemet refert Augustin. lib. de Eccles.dogma.c.7., ad quam opinionem vidētur etiam inclinare Hylarius, & Chrysostomus. Necesse est ergo, vt alterutri falsum dicant.

Quartum pariter ex ijsdē. Nā Augustinus ait, omnes psalmos fuisse factos à Rege Dauid, quod negatur à Hyeronimo, multos alios adducens eorū authores. Sextū est ex ijsdē, ex quibus possent adduci sexcenta alia, si studiū breuitatis nō obstaret; Siquidē Hyeronimus super epist.ad Tit.inquit, Angelos non fuisse simul creatos cū mundo visibili, sed multis ante seculis; Et in libro Hebraicarum quæst.quòd Deus ante Cælum, & terrā, paradisum effecerat; Et in prologo libri

ſap. tenet, quò i ille liber ſit Philonis Ebræi, adeoque non recenſendus inter ſcripturas; Et in prologo, ſeu quæſtionibus primi Regum, Samuelē fuiſſe verū Sacerdotē, quæ omnia vt falſa reijciūtur ab Auguſtino. Videantur quæ ipſe dicit contra 1. in lib. ſupra Geneſim; cōtra 2. ſuper Gen. ad litterā; con. 3. in 2. retract. c. 4. & lib. 2. de doct. chriſt. c. 8.; con. 4. in lib. de quæſt. noui & vet. teſtam.; & demum in lib. 1. de ciuit. c. 19. refutat vt impium, dicere licere ſponte ſuis manibus mortem oppetere, vbi caſtitas periclitatur, quod Hyeronimus vt pium dixerat, ſupra illud Ioſue *proiicite, & mittite in mare*. Quintum inter Cyprianum, & Auguſtinum; vt habetur in c. *quomodo exaudit Deus*, de conſec. d. 4. & in ca. *ſiqui à pſeudo* 1. q. 1. Nam ille dicebat, inter hæreticos, & Schiſmaticos non eſſe verū Chriſti baptiſma, adeoque illos eſſe rebaptizandos, cum conuertuntur ad fidē; & tamen hoc vt erroneum repellitur ab Auguſtino.

Sextum inter Auguſtinū, & reliquos. Nam ipſe ait, in opere ſex dierum, Deū feciſſe mundum totum ſimul, nō autem ſucceſſiuè, dicendo, ſucceſſionem illam temporis,

temporis, cuius meminit Genes. 1. fuisse solùm per angelicam cognitionem in verbo, nō autem per realem temporum distinctionem. Quæ opinio communiter ab omnibus alijs reijcitur vt falsa, vt probat Salianus in 1. tomo lib. 1. super caput 1. Genes.

Septimum inter D. Hylariū, & Hyeronimum. Siquidem Hylarius in lib. de synodis, ut refert Dur. in 3. d. 12. q. 1. n. 4. dicit *ut hæreticum dicentem Christum esse creaturam damnamus*; in quo illi cōcordat August., qui in lib. de agone Christi ait, *non eos audimus, qui dicunt, Christum esse creaturam*. Et tamen D. Hyeron. supra illud. Ephes. 2. cap. *ipsius enim factura sumus*, dicit, ut refert Scotus in 3. d. 11. q. 1. *multi timore trepidant, nè Christum creaturam dicere compellantur; nos autem liberè proclamamus, non esse periculum dicere, Christum esse creaturam*. Immò ipse Aug. supra Io. 1. dicit *Dominus Iesus factus est homo, ut qui creator semper fuerat, fieret creatura*, in quo sibi contradicit apertè. Postremum ducitur ex famosis illis Apostolorum Principū altercationibus, de quibus supra aliquid innuimus; e Scholarum doctissimarum

diffidijs, aliorumque Doctorum pænè innumerabilium, etiam in rebus fidei, in quibus necessariò debet in alterutra parte latere falsitas.

Probatur secunda conclusionis pars, non solùm ex libro, quem toties citauimus, retractationum S. Augustini, in quo sanctissimus Doctor, se ipsum reum statuens ante se, sibimet apertissimè contradicit, vtpote qui falsũ dixerit, vt per correctionem sui, remedium subeat veritatis; non solum, inquam, per hunc librum, qui solus ingens prestat argumentum ad hoc probandum, sed etiam ex multis alijs locis, minimè retractatis, & fortasse etiam non deprehensis vt falsis. Vidimus nuper, in probatione primæ partis, D. Augustinum in q. nou. & vet. test. q. 46. contradixisse Hyeronimo asserenti, Samuelem fuisse verum Sacerdotem, eo quòd non fuerit de filijs Aaron, & tamen huius contradictionis oblitus lib. 12. con. Faustum Manich. c. 35. oppositum asserit, dùm ait, *commutatum fuisse Sacerdotium in Samuelem, reprobato Hely, & commutatum esse regnum in Dauid, reprobato Saule.* Sicut ergo Dauid fuit verè Rex post reprobationem Saulis, ita & Samuel

Samuel fuit verè Sacerdos, post reprobationem Hely. Ergo Augustinus sibi contradicit. Quod idem facit respectu eiusdem Samuelis. Nam in lib. de cura agenda prò mortuis, ait quòd Samuel fuerit rursùs ad vitã à Dęmone magicis cantionibus reuocatus, & locutus Sauli. Et tamen in quæst. nou. & vet. testam. q. 27. hoc apertissimè negat, dicendo, Samuelem non fuisse verè ad vitam reuocatum per Phinotissam, sed malum Dæmonem, sub specie Samuelis, apparuisse Sauli. In idem vitium incidisse Hyeronimum probatur ex eo, quòd in illa quæst. *an Saul fuerit in Vrbe Hierusalem?* Sibi contradicit apertè in epist. ad Euangel. modò in affirmatiuam, & modò in negatiuam partem inclinãs. Quod clariùs apparet in eo, quod asserit de Sacerdotio Samuelis, de quo nuper. Nam lib. 1. con. Iouin. ait, *simulque cognoscendum est, quòd Samuel leuita, non Sacerdos, nec Pontifex fuit, ideoque non nominatur inter Sacerdotes, sed inter eos, qui inuocant nomen Domini.* Et tamen supra vidimus illum asseruisse, Samuelem fuisse verum Sacer. dotem, cui contradicẽtem fecimus Augustinum. Ergo Doctores præcipui Sã-

&æ Ecclesiæ, non solùm sibi inuicem aduersantur in multis, sed multi quoque suis dictis contradicunt vt falsis. Cùm ergo in vtraque contradictionis parte non detur veritas, sequitur, eorum auctoritatem, non solùm esse fallibilem, sed in multis fallacem. Et ideo D. Anselmus lib. 1. *cur Deus homo* hæc habet, loquens de suis libris, & dictis *omnia, quæ dico, sic volo accipi, vt si quid dixero, quòd maior non confirmat auctoritas, quamuis illud ratione probare videor, non alia certitudine accipiatur, nisi quòd interim mihi videtur, donec Deus mihi melius reuelet.*

Quarta conclusio. *Licet cuilibet ex Doctoribus priuatis, aliquando recedere ab auctoritate alicuius Ecclesiæ Doctoris, quando illi suppetit vrgens ratio in contrarium, & non sit sermo de rebus supra exceptis.* Probatur ex dictis, quia nemo tenetur sequi, vt infallibiliter verum, dictum illius, in quo potest subesse falsum, & de facto aliquãdo subest. *Vbi enim nõ est infallibilis veritas, ibi nõ est fides certa*, vt ait Maioric. loco cit. Sed omnes Doctores Ecclesiæ sunt huiusmodi, vt possint errare, & de facto aliquando etiã errarint. Ergo nemo tenetur illos in omnibus sequi

qui. Maior est certa: alioquin teneremur ad sequendum ut uerum etiam id, quod est falsum. Minorem probant Ioannes Picus mirand. q. 1. suæ apol., Albert. q. 15. n. 5. & q. 30. n. 48. & seq. Guido Carm. Ep. Maior. in tract. de hæresib. & nos usque adhuc probauimus, in triplici conclusione antecedenti. Ergo uera est nostra assertio. Et ideo ait Albert. loco citato n. 48. *non eo ipso, quod aliquis Sanctus Doctor aliquid opinatur, illud est credendũ à cunctis fidelibus, tamquam veritati consonum; illi enim Doctores quantancumque Sancti sint, errare potuerunt, vt patet in S. Aug., qui sanctus existens, plurima scripsit, & docuit contrà catholicam veritatem, quorum aliqua postmodum reuocauit.* Et n. 9. *Ex quibus patet, quòd dicta Doctorum non innituntur infallibili veritati, cum in eis possit esse dubietas, vel falsitas, & sine periculo hæresis licet eis non credere, reprehendere, & respuere.* Vbi aduertatur ly *aliqua*. Supponit enim, illi adhuc multa superesse reuocanda, scripta contrà catholicam ueritatem. Hi tamẽ errores nõ pugnabant cũ eius sanctitate. Et ideo subdit (quod dictũ uolo de omnibus alijs) *Et quia iste error non habebat, pertinaciam*

naciam annexam, non obuiauit illius sanctitati, quia, vt ipse ait, errare potero, sed hæreticus non ero. Quare non valet consequentia *hoc est contra D. Augustinum, Hylarium, Thomam, &c. Ergo est hæreticum*. Sicut non valet oppositum, *hoc est iuxtà mentem, & doctrinam horum Doctorum. Ergo est catholicum*. Licet ergo etiam Doctori priuato, aliquandò recedere in aliquo, ab auctoritate horum sanctorum, absque vlla nota vel hæresis, vel temeritatis, quæ facilè (vt ait Picus) non infligitur, nisi ab hominibus nequā, & parùm versatis in theologicis. Hinc tamen nollem, alicui præberetur ansa suspicandi, quòd semper, & prò libito per me liceat omnibus, auctoritatem contemnere, & vt falsam respuere omnium Doctorum. Hoc enim neque vmquam asserui, neque assero. Et ideo toties apposui illas limitationes *in aliquo*, & *aliquando*, idest cum iusta suppetit ratio, & tunc *salua honorificentia, quæ illis debetur hominibus*, v. supra diximus ex c. *neque quorumlibet* dist. 9. Si ergo aliquis faceret sibi familiare Sanctorum negligere auctoritatem, in rebus fidei, immò si ab vnanimi illorum sensu recedere nō

for-

formidaret, & ad singulas ineptias, vulgo coram simplicibus, proclamaret, Sãctos Ecclesiæ Doctores in multis errasse, & alia pronuntiaret huiusmodi, hunc hominem puto, tamquam suspectum de fide, fore ab omnibus euitandum.

Dices, Doctrina horum Sanctorum fuit approbata ab Ecclesia, vt colligitur ex textu c. *gloriosus Deus* lib. 6. de reliquijs, & venerat. SS., vbi referũtur Greg., August., Amb., & Hyeron., *quorum doctrina* (vt ibi dicitur) *per lucida, & Salutaria documenta: Ecclesiam illustrauit*. Quod idem habetur in c. *Sancta Romana Ecclesia* dist. 15. Et in 5. synodo, vt retulimus initio articuli ex D. Tho. 4. con. Gen. c. 24. vbi dicitur *sequimur per omnia Sanctos Patres, & Doctores Ecclesiæ, Athan., Greg., Amb., Aug., Theophilum, Io: Const., Cyril. Leonẽ probũ, & suscipimus omnia, quæ de recta fide, & damnatione hæreticorum scripserunt*. Ergo illis contradicere est contradicere doctrinæ catholicæ, adeoque est hæreticum.

Distinguo antecedens, Doctrina horum Sanctorum fuit approbata in omnibus ab Ecclesia, nego. In aliquibus tãtùm, videlicet in ijs, quæ scripserunt de fide

fide catholica, & de condemnatione hæreticorum, concedo antecedens. Et nego consequentiam. Et ideo in conclusione apposui illam limitationem, *nisi fiat sermo de rebus supra exceptis*, quia numquam dictis meis intendi, approbatam ab Ecclesia doctrinam comprehẽdere, tamquam ab alijs respuibilem. Quòd autem ita intelligatur determinatio illa quintæ synodi, apertè patet ex textu, & probant inter alios Turrecrem. in c. *noli* dist. 9., D. Tho. in loco cit., ex Albert. q. 15. nu. 12., &c. Et ideo D. Aug. diuersimodè loquitur de his materijs, atque loquatur de alijs. Nam in lib. de fide ad Petrum sic inchoat caput 9. *firmissimè tene, & nullatenus dubites*. Et in fine dicit *tu autem 4 capitula ad regulam veræ fidei pertinentia, fideliter, veraciterque defende. Et siquẽ contra hæc dogmatizare cognoueris, tamquam pestem fuge, & tamquam hæreticum abiice*. At in alijs, vt refertur in c. *negare* dist. 9. *negare non possum* (inquit), *nec debeo, ita multa esse in tam multis meis opusculis, quæ possunt iusto iudicio, & nulla temeritate culpari*. Non nisi quia *in illis primis nullus est error, nullusque dissensus*

(ut

(ut loquitur Albert.) *Et ideo tamquam catholicæ veritates sunt tenenda,* quia *omnia videtur facere Ecclesia, quibus ipsa auctoritatem impertitur,* ut habetur c. *si apostolicæ de præben* lib.6.l. 1. §.*omnia* C. de ueteri iure enuclea. At in his secūdis, ut idem ait, *quia nō sunt de fide catholica, vel de condemnatione hęreticorum, sed aliā materiam alterius generis tractant, ideo non taliter approbantur, vt nō liceat aliter sentire; nec sunt ea tenenda tamquam veritates catholicæ.* Præterea probatur etiam ratione, quia Ecclesia non potuit approbare, ut ueritatem infallibilem id, cui potest subesse falsum. Sed omnia talium Doctorum scripta, præter excæpta, sunt talia, ut ijs possit subesse falsū, ut patet ex mutuo doctorum dissensu, discordia, retractationibus, &c. Ergo non potuerunt illo capitulo sextæ synodi comprehendi, ut eorum hominum dicta, de quibus locutus est D. Petrus in 2.ep.c.1. *Spiritu Sancto inspirati, locuti sūt Sancti Dei homines,* qui per consequens errare non possint. Alioquin in hoc asserendo ipsa errasset Ecclesia, quod esset error peior priore. Neque obstat, quòd illa synodus dicat, se *approbare per omnia*

nia dictos sanctos; Hoc enim debet referri ad materias supra exceptas, & non ad alias, vt patet ex textu, & probat Turrecrem. in d. c. *si ad scripturas* l. 2. §. *contrarium* C. de veteri iure enucl., nè dicamus, Ecclesiam approbasse contraria. Præterquamquod in tali capitulo non vsurpatur verbum *approbo*, sed *recipio*, & *suscipio*, vt obseruat Albert. Non nisi quia ex his Doctoribus non omnia sunt approbanda, sed electione facta eorum, quæ dicũt, aliqua recipienda, & alia respuenda. Nemo igitur miretur in posterum, si ad simplicē Doctoris cuiusuis auctoritatem, me minimè assentientem inuenerit aliquando. Nam semper cum Augustino responsũ dabo, vt habetur in c. *ego solis* toties citato. *Alios autem ita lego, vel audio, vt quamtalibet sanctitate, quantaue doctrina polleant, non ideo verum putem, quia ipsæ ita senserint, sed quia per alios auctores, vel canonicas, vel probabiles rationes, quæ à vero non aberrant, mihi persuadere potuerunt.*

DI-



DISPVTATIO TERTIA

De Subsistentia.

PRopriùs locus huius disputationis est, post disputationem de substantia, cuius est propria subsistentia; Et ideo illam ad logicam transtuleram, ad librum de prædicamentis; Verū quia nonnulli, meorum operum propugnatores inuicti, semper me nouis vrgent stimulis ad ea molienda.. quæ cæteroqui vix animo præconceperam; Ideo omissa methodò, quam statueram, vt eorum indulgeam desideriis, queis omnia debeo quidquid profecero, meæ violentiam non exiguam facio voluntati, aliorsùm cæteroqui properaturæ. In tali autem disputatione, quia finis præcipuus est, in examen adducere, an Suppositum Diuinum in Christo Domino, aliqualem habuerit inceptionem? Ideo cætera quasi obiter, tangam, & (vt ita dicam) compendiosè, longiusculè in difficultate proposita moraturus..

AR-

ARTICVLVS PRIMVS

Proponitur status quæstionis; explicantur termini subsistentia, suppositum, persona, hypostasis, &c. Et quæritur, an subsistentia sit aliquid naturæ superadditum?

ALiquot ab hinc annis, cùm libellū conscriberem ad præstantissimū Serenissimæ huius Reipublicæ Senatorem, quo illum certiorem faciebam, & simul docilem cuiusdam difficultatis metaphysicæ, quæ recèns ea ferè tempestate agitabatur, inter meam, & præcipuas huius Vrbis Achademias, in exemplo petendo, à Christi Domini sacrosancto composito, scriptoris vitio, me absente, scribentis, prò *composito*, *suppositum* calamo excidit, quem errorē deinde geminarunt ij, qui, me inscio, opusculum illud Francfurti, paucis pòst mensibus, typis vulgarunt. Hinc statim exploratorum turba, quibus antesignanus præerat Aduersarius, doctrinam hanc vt hæreticam damnant, accusant, vrgentque, vt sacrosancti Tribunalis decreto,

creto, coram populo, vnà cum auctore flammis obijciatur. Quinquennium instant, cùmque flammas abtinere non possint, doctrinam vt ream diuinissimæ Trinitatis, verbis illudunt, calamis pungunt, prælisque dilaniant. Ego igitur non vt illam propugnem, quam vt meam numquam agnoui (neque enim puto tam ferreos Aduersarios, vt dicant me teneri, vel ad vsum scriptorum impeccabilium, vel ad illorum errores, si qui fortè calamo exciderint, propugnãdos) sed curiositatis ergo, perpẽsis vtrinque fideliter rationibus, vt omnibus pateat, non doctrinæ meritum, at ignorantia Impugnatorum, scriptoris mendum ad theologicam trutinam reuocabo. Sed priùs notitiam rudem terminorum præmittam, vt faciliùs difficultatis, exactio vel ab omnibus percipiatur.

Subsistentia est nomen æquiuocum penès Suar. disp. 34. met. sect. 1. n. 5. Nam *aliquando* (vt ille ait) *accipitur in vi abstracti prò ratione subsistendi, etiam in Conciliis; aliquandò verò, & sæpissimè in vi concreti, prò re subsistente, & hoc modo frequẽtissimè sumitur prò supposito incommunicabiliter subsistente, quòd græcè hypo.*

stasis appellatur. Tamē in communi modo loquendi, subsistentia sumitur ad significandam formam abstractam huius concreti *subsistens*, idest id, per quod formaliter habet totum substantiale, siue aliqua quæcunque completa substantia, vt sistat in sua perfectione, & nō procedat vlterius ad aliam perfectionē, sibi naturaliter, vel supernaturaliter possibilem, per unionem cum alio, à quo intrinsecè perficiatur. Quare doctrina Suarij fortasse habuit locum penès antiquos, non autem penès Recentiores, quibus non est æquiuocus hic terminus, ut infrà uidebimus. Illud ergo per quod formaliter ultimò completur substātia in suo esse, dicitur subsistētia. An autem hoc sit aliquid substantiæ superadditū, nec nè statuetur inferiùs.

Persona penès Latinos, ut ait Gellius lib. 5 c. 7., & colligitur ex Boetio in lib. de duabus naturis, propriè à theatris originem ducit, nam dicta est à *personādo*, eo quòd uox sub persona grauiùs sonet, siue personet, quam grauitatem exprimūt latini per productionem mediæ syllabæ de se breuis. Quia ergo persona significat propriè uultum fictitium, siue

te-

tegumentum uultus, & per uultum solemus homines internoscere, ideo per metaphoram, translatum est à latinis Grammaticis hoc nomen *persona*, ad significãdum indiuiduum, rerum uultum habentium, idest rerum rationalium, quæ solæ uultum habent, ut ait Cicero, adeoque distinguunt tres personas primam, secũdam, & tertiam, quia singula possunt demonstrari his pronominibus *hic*, *iste*, *ille*, & esse suppositum uerbi substantiui. Theologi ergo dilatando hoc nomen ad omnia, & singula indiuidua, cuiuscunque intellectiui, ut significarẽt, in Deo præter essentiã diuinã, esse etiã tres quasdã res distinctas intellectiuas, & per se subsistentes, ob uocum penuriam, qua maximè semper laborarunt Latini, illas uocarunt personas, seu supposita. In hoc igitur sensu persona definitur à Boetio in loco cit., *rationalis naturæ indiuidua substantia*, quæ definitio probatur D. Thomæ 1.p.q.29.ar.1. cùm hac tamen cautione, ut nomine substantiæ intelligatur substantia completa, non quomodocunque, sed indiuidua, idest incommunicabilis, & inassumptibilis; & per ly *rationalis naturæ* intelligatur

tur ſubſtantia etiam purè intellectualis non diſcurſiua, ut comprehendat Deũ, & Angelos. Aliter illam, & meritò reprobat D.Tho.1.p.q.30.ar.1. Non admodum diſſimilis huic eſt definitio tradita à Riccardo Victorino lib.4. de Trinit.c.22., quod uidelicet perſona ſit *rationalis naturę incommunicabilis exiſſẽtia, ſeu ſubſtãtia*, ut uulgò ſolet exprimi, quæ in eamdem recidit definitionem.

Suppoſitum eſt ferè idem, atque perſona, cum hoc tamen unico diſcrimine, quòd perſona dicatur ſolum de ſubſtãtia rationali, ſuppoſitum uerò etiam de irrationali, cuius abſtractum nõ dicitur ſubſiſtentia, ſed ſuppoſitalitas, iuxtà communem philoſophorum, ac Theologorum acceptionem, ut uidere eſt penès Suar.diſp.14.met.ſect.1.n.13., Auerſam tom.1.metaph.q.18.ſect.7.alioſque. Quare ſuppoſitum magis latè patet, quàm perſona. Et ideo dicuntur *differre quaſi materialiter ex parte naturæ, non uerò formaliter in ratione, & modo incommunicabiliter ſubſiſtendi, ut idem ait Suar. ibid.*, quia uidelicet perſona addat ſuppoſito rationalitatẽ naturæ. Ex quibus patet, ad rationem perſonę tria requiri, uidelicet

uidelicet suppositum, quod directè significatur, & natura cum rationalitate, quæ significâtur in obliquo. Omne ergo constitutum ex natura, & subsistentia, dicitur suppositum, quod constitutum, si includat naturam rationalem, dicitur persona. Suppositum ergo ita communiter solet definiri *substantia singularis, incommunicabilis*; & breuiùs etiam *substantia incommunicabilis*. Dicitur *substantia*, ad excludenda accidentia, quæ supposita non dicuntur. Dicitur *singularis* ad excludendas naturas uniuersales, & abstractas. Dicitur *completa*, ad excludendas materiam, formam, & unionem substantialem, & aliam quamcunque partem componentē intrinsecam. Demùm dicitur *incommunicabilis* ad excludēdam naturam diuinam, quæ quamuis subsistat in triplici supposito, ipsa tamē non est suppositum, quia pluribus communicatur, quidquid in contrarium asseruerit Caietanus, cui in hoc, omnes aduersantur. Quia tamen hæc incommunicabilitas non conuenit, nisi substātiæ completæ, ideo bene posset etiam sustineri secunda breuior definitio, quāuis illam Fonseca reiecerit 5. met. c. 8. q.

tur substantia etiam purè intellectualis non discursiua, ut comprehendat Deũ, & Angelos. Aliter illam, & meritò reprobat D.Tho.1.p.q.30.ar.1. Non admodum dissimilis huic est definitio tradita à Riccardo Victorino lib.4. de Trinit.c.22., quod uidelicet persona sit *rationalis naturę incommunicabilis exisẽtia, seu substãtia*, ut uulgò solet exprimi, quæ in eamdem recidit definitionem.

Suppositum est ferè idem, atque persona, cum hoc tamen unico discrimine, quòd persona dicatur solum de substãtia rationali, suppositum uerò etiam de irrationali, cuius abstractum nõ dicitur subsistentia, sed suppositalitas, iuxtà communem philosophorum, ac Theologorum acceptionem, ut uidere est penès Suar.disp.14.met.sect.1.n.13., Auersam tom.1.metaph.q.18.sect.7.aliósque. Quare suppositum magis latè patet, quàm persona. Et ideo dicuntur *differre quasi materialiter ex parte naturæ, non uerò formaliter in ratione, & modo incommunicabiliter subsistendi, ut idem ait Suar. ibid.*, quia uidelicet persona addat supposito rationalitatẽ naturæ. Ex quibus patet, ad rationem personę tria requiri,

uidelicet

uidelicet suppositum, quod directè significatur, & natura cum rationalitate, quæ significātur in obliquo. Omne ergo constitutum ex natura, & subsistentia dicitur suppositum, quod constitutum, si includat naturam rationalem, dicitur persona. Suppositum ergo ita communiter solet definiri *substantia singularis, incommunicabilis*; & breuiùs etiam *substantia incommunicabilis*. Dicitur *substantia*, ad excludenda accidentia, quæ supposita non dicuntur. Dicitur *singularis* ad excludendas naturas uniuersales, & abstractas. Dicitur *completa*, ad excludendas materiam, formam, & unionem substantialem, & aliam quamcunque partem componentē intrinsecam. Demùm dicitur *incommunicabilis* ad excludēdam naturam diuinam, quæ quamuis subsistat in triplici supposito, ipsa tamē non est suppositum, quia pluribus communicatur, quidquid in contrarium asseruerit Caietanus, cui in hoc, omnes aduersantur. Quia tamen hæc incommunicabilitas non conuenit, nisi substātiæ completæ, ideo bene posset etiam sustineri secunda breuior definitio, quāuis illam Fonseca reiecerit 5. met. c. 8. q. 5. sect.

5.sect.3 propter rationem nullius ponderis, vt videre est penès Auersani, dicta quest.18.sect.7.

Hypostasis est verbum græcanicum, quod significat, penès antiquos, quibus mysterium nō innotuit sanctissimæ Trinitatis, vt refert Nicephorus lib.10. suæ hist.c.15., fundamentum, seu quamlibet aliam rem substantem alteri, & secundū Aristotelem, in lib. de mundo, significat idem, atque existens. Sed apud theologos, habuit olim duas significationes contrarias; Et ideo D. Hyer. in epist. ad Damasum ait, *sub hoc nomine latuisse venenum*; aliquandò enim significabat substantiam, seu essentiam, & aliquando subsistentiam, seu suppositum. Vnde orta sunt tot dissidia in Ecclesia. Nam aliqui nè viderentur sentire cum Arrianis, impiè negantibus Personarum diuinitatem, absolutè negabant hypostaseon multiplicitatem in Deo, nè vnam essentiam Patri diuinam, & alteram Verbo tribuerent creatam. Contra verò alij nè sentirent cum Sabellianis, per summum nefas tollentibus Personarum distinctionem, plures in Deo admittebant hypostases, intelligendo nomine hypo-

stasis

stasis subsistentiam, siue suppositum. Ad tollendam igitur huiusmodi ambiguitatem, conuenere inter sese Theologi, annuentibus Concilijs, & Pontificibus, vt nomen *hypostasis* non amplius essentiam significaret, sed solam subsistentiã, seu suppositum, vt probant Basil. ep. 43. Boetius lib. de 2. naturis, Auersa q. 18. de sub. sect. 7. Nyssen. lib. de differ. vsiæ, & cõmuniter omnes Doctores, & Patres.

Dices, hypostasis significat rem alteri substantem, vt probat D. Tho. 1. p. q. 29. ar. 2. Sed diuina supposita, seu subsistentiæ alteri non substant. Ergo non benè dicuntur hypostases. Distinguo maiorem, significat hoc penès ethnicos, & antiquos, concedo, penès catholicos, & modernos, nego maiorem. Et concessa minori, Distinguo eodem modo consequens, videlicet diuina supposita dici solùm hypostases, in sensu catholicorũ, non autem in sensu Gentilium. Ad auctoritatem D. Tho. respondeo, illum voluisse solùm in tali loco, explicare nominis ethymologiam grammaticaliter, non autem quidquam determinare de illius significatione theologica; alioquin sibi cõtradiceret in ar. 3. in resp. ad 3., vbi

probat, in Deo esse hypostases, quamuis neget, quidquam esse accidentibus substans. Hoc autem manifestè patet ex eius uerbis, *hypostasis non competit Deo, quantùm ad id, à quo est impositum nomẽ, cùm non substet accidentibus; competit autem quantùm ad id, ad quod est impositum, ad significandum rem subsistentem.*

His suppositis, magna instituitur quęstio penes Auctores, an videlicet subsistentia sit aliquid naturę superadditum, & an hoc sit positiuum, vel negatiuum? In hoc triplex est opinio. Prima est Aristotelis 7.met.t.41., aliorũque omnium, qui non cognouerunt Trinitatis, & Incarnationis mysteria. Dicunt enim, in primis substantijs, non distingui naturã à supposito. Quibus etiam accesserunt ex Theologis, Durand.in 1.d. 34.q. 1. n. 15., Enric. quodlib.4.q.4., & Aureol. in 3.d.1.q.1. qui omnes putant, hominem, & humanitatem, adeoque naturam, & suppositum, siue subsistentiam, non differre, nisi ratione, & in modo significandi, abstracto, vel concreto, quatenùs videlicet abstractum significat per se formam, concretum verò significat rem, per modum habentis formam.

Secunda

Secunda huic opposita est S. Thomæ in 3.p.q.4.ar.2.in corp.,quem sequuntur Suar.disp.34.met.sect.2.n. 20. Auersa q. 18. met. sect. 2., Arriaga disp. 14. met. sect.11.subsect.2.,Valentia tom. 4. disp. 1.q.4.pun. 2. Vasquez tom. 1. in 3. p. q. 31.,& communiter est adeo certa penès Recentiores, ut Arriaga dicat, in loco citato,*non deeße ex illis, qui contrariæ notam inurant*, cui notæ infligendæ, dum uidetur Arriaga se subducere, in illam labitur magis, in loco cit. ubi ait *ego autem à censura abstineo, ea autem ex dictis contrà Scotum, sufficienter probata est.* Dicunt igitur hi auctores, subsistentiam esse aliquid positiuum reale, naturæ superadditum, quod aliqui uocant modū, & alij realitatem, distinctam quidem realiter à natura in creatis, in diuinis autem solùm ratione.

Tertia media inter utrãque est Scoti in 3.dist.1.q.1.& d.6.q.1.,& alibi passim, quem sequuntur Gabriel in 3.d.1. Molina 1.p.q. 29. ar. 2., Basiol., Mayron, Ocham, Rada, Marsil. & omnes Scotistæ, uidelicet quòd subsistentia in creatis, superaddat quidem aliquid naturæ, ad hoc ut saluet Incarnationis mysterium,

non tamen positiuum; sed negatiuum, quod ait esse duplicem negationem, alteram actualis dependentiæ, seu communicationis cum alio supposito, & alteram aptitudinalis, qua non possit ab illo naturaliter dependere, seu cum illo communicari. Quare Scotus constituit suppositum, seu subsistens formaliter per hoc, quòd eius natura substantialis neque sit, neque esse possit in alio, siue ut pars in toto, siue ut natura in alieno supposito. Ex hac duplici negatione, siue una uirtualiter duplici, saluat, ex una parte, naturam humanam in Christo, non habere propriam subsistētiam, ex defectu primæ negationis, eò quòd de facto fuerit unita diuino supposito; Et ex alia animam rationalē, siue intra, siue extra corpus, non esse suppositum, ob defectum secundæ, quatenus uel est actu unita, uel est intrinsecè apta uniri cum corpore. Cæterùm ait, excæpto Christō Domino, in quolibet homine dari proprium suppositum, quia quãuis quælibet natura humana potuisset à Deo assumi, hanc tamen, ait, non esse aptitudinem naturalem in ipsa natura, ad hoc ut assumatur, sed potius nō repugnãtiã.

Prima

Prima conclusio. *Subsistentia est aliquid superadditum naturæ, adeoque ab illa distinguitur, vel realiter, vt in creatis, vel virtualiter intrinsecè, vt in diuinis*. Probatur, contra primam sententiam, in creatis, quia separabilitas est signum infallibile distinctionis realis actualis, vt probauimus in primo libro. Sed in creatis subsistentia potest à natura separari, immò de facto est separata in Christo Domino, cuius humana natura, carens propria subsistentia, subsistit in diuino supposito. Ergo ab illa realiter distinguitur, quia non habet cum illa consensum intrinsecum, in prædicatis perfectiuis. Probatur in diuinis, quia subsistentia diuina ex vna parte realiter non distinguitur à Deitate, seu natura diuina, vt asserit D. Tho. in 1. p. q. 29. ar. 4. in responsione ad primum ex Augustino, vbi hæc habet *in Deo essentia est idem cum hypostasi, quia in Deo non differt quod est, & quo est*; & in corpore *relatio autem in diuinis, non est sicut accidens inhærens subiecto, sed est ipsa diuina essentia*, & in q. 28. ar. 2. in corp. *patet ergo quòd in Deo non est aliud esse relationis, & esse essentiæ, sunt vnum, & idem*.

N 4. Et

Et præterea videtur esse de fide, diuinam subsistentiam realiter non distingui à natura diuina, alioquin personæ non essent Deus, quia nō haberent cum essentia, consensum intrinsecum in perfectionibus simpliciter simplicibus, quod est necessarium deitati. Cùm ergo ex alia parte, inter diuinam essentiam, & subsistentiam, detur capacitas contradictionis, nam essentia realiter communicatur, & subsistentia realiter non communicatur; Ideo, dicendum est, illas distingui, non realiter, neque merè ratione, sed distinctione virtuali intrinseca, vt fusè probauimus in primo lib. disp. 2. ar. 2.

Secunda conclusio. *Subsistentia, in diuinis non est vna absoluta, omnibus personis communis, sed triplex relatiua.* Probatur, quia alioquin non daretur distinctio inter personas, sed omnes in vnam confunderentur, quod repugnat symbolo S. Athanas., in quo dicitur *non confundētes personas, neque substantiam separantes.* Quòd autem confunderētur, patet, quia omnes haberent eamdem subsistentiam absolutā. Ergo facerent vnum idemque suppositum, quia cessaret ratio oppositionis.

tionis relatiuæ, in qua fundatur Personarum distinctio.

Dices, Personæ haberent eamdem subsistentiam absolutam, non autem relatiuam. Ergo adhuc distinguerentur per relatiuam. Nego antecedens, & propter rationem infra afferendam, & quia in tali hypothesi conclusionis, vna tantùm in Deo daretur subsistentia absoluta, & nulla relatiua, quæ simul esse non possunt. Quòd autem vna admissa in Deo subsistentia absoluta, admitti non possent relatiuæ, probatur, quia subsistentia est id vltimū, quo substantia sistit in se. Vel ergo illa absoluta subsisteret per relatiuas, vel non? Si primum. Ergo ipsa non esset vltima, adeoque non subsistentia. Si secundum. Ergo non esset omnibus communis, adeoque daretur in Deo aliquid absolutùm non commune, quod est erroneum. Nā hoc uel esset ratione sui formaliter perfectio, uel nō? Si esset. Ergo imperfectæ relatiuæ, quia illa carerent. Si non esset. Ergo præter diuinas personas, & essentiam, daretur aliquid in Deo, quod neque esset perfectio, neque imperfectio, & necessariò essentiā denominaret, quæ sunt absurda.

Ex quo patet primò, quàm ſit abſona Caietani ſententia, admittẽs in Deo vnum ſuppoſitum incompletum, ſeu ſemiſuppoſitum commune tribus perſonis, vt latè proſequitur Suar. diſp. 34. met. ſect. 1. n. 2. Ratio eſt, quia ſuppoſitũ dicit formaliter incommunicabilitatẽ, vt vidimus ſupra in eius definitione. Non poteſt ergo eſſe pluribus commune, alioquin communicaretur, & non cõmunicaretur. Et ideo, vt ait Suarius, meritò hæc opinio Doctorum aures offendit, & reijcitur ab omnibus.

Dices. Suppoſitum diuinum communicatur naturæ humanæ. Ergo non eſt de ratione ſuppoſiti eſſe incommunicabile. Diſtinguo conſequens, non eſt de ratione ſuppoſiti, eſſe incommunicabile alteri ſuppoſito, nego, alteri naturæ, concedo conſequentiam: Et ideo natura humana in Chriſto, caret propria ſubſiſtentia, quia terminatur alieno ſuppoſito.

Vrgebis, natura diuina, quamuis ſubſiſtat in Patre, adhuc tamen communicatur filio. Ergo communicatur alteri ſuppoſito. Diſtinguo antecedens, natura diuina vt ſubſiſtens in Patre, communi-

catur

catur filio, nego: vt virtualiter intrinsecè ab illo præcisa, concedo antecedens. Et distinguo consequens, communicatur alteri supposito, vt suppositata formaliter per aliam subsistentiam, nego: vt virtualiter intrinsecè ab illa præcisa, concedo consequentiam. Dico ergo, naturam subsistentem in aliquo supposito, fieri quidem incommunicabilem alteri supposito, vt formaliter affectam primo, non autem materialiter, & secundùm se. Quare incommunicabilitas non est naturæ, sed suppositi.

Vrgebis secundò, & difficiliùs. Ergo poterit eadem natura humana, in Christo Domino, retenta sua subsistentia, communicari diuino supposito, si accipiatur materialiter, & vt distincta à subsistentia creata, sicut natura diuina, retenta subsistentia paternitatis, materialiter, & specificatiuè sumpta ab illa, communicatur filiationi. Nego consequentiam, propter duplicem rationem disparitatis. Prima est, quia natura diuina non subsistit adæquarè in sola paternitate, quæ cùm sit subsistentia relatiua, necessariò dicit aliam subsistentiam eiusdem naturæ, vt terminum sui. At

subsistentia creata est absoluta; Et ideo adæquatè, & completè natura humana subsistit in illa. Secunda, quia subsistentia diuina est, non solùm positiua, sed realiter ipsa diuina substantia, à qua tantùm distinguitur distinctione virtuali intrinseca, vt probatum est in primo libro. Potest ergo natura diuina, propter suam fęcunditatē, subsistere simul triplici subsistētia, quia nō proinde ex hoc admittit in se formaliter contradictionem. In creatis autem, quia subsistentia est negatiua, & formaliter consistens in negatione vnionis cū alio, si natura humana Christi, sua retenta subsistentia, admitteret subsistentiam increatam, haberet simul negationem vnionis, & vnionem cum alio, adeoque vniretur Verbo, & non vniretur, quæ sunt formaliter contradictoria. Hoc igitur argumentum validissimè vrget eos, qui dicunt, subsistentiam esse modum positiuum, siue realitatem. Nam hi omnes difficillimè afferunt rationem, quare cùm possit eadem natura diuina subsistere triplici subsistentia, non possit etiam natura humana, retēto modo creato, subsistere etiam Verbo increato, vel saltem subsistere

ſtere duplici, ſeu triplici ſubſiſtentia creata, ſicut cõmuniter aſſeritur, poſſe quantificari per duplicem quantitatem, & vbiſicari per duplicem vbicationem, &c. At contra nos non vrget argumentum, vt omnes vident.

Patet ſecundò, falſam eſſe doctrinam eiuſdem Suarij, in loco citato, admittentem in Deo vnam ſubſiſtentiam abſolutam, communem omnibus Perſonis, & diſtinctam à proprijs ſubſiſtentijs relatiuis. Quamuis enim poſſet ſaluari, perſonarum diſtinctio, per ſubſiſtentias relatiuas, poſito quòd ſimul admittantur aſſociabiles, vt de facto dicũt Thomiſtæ, & Scotiſtæ, quorum Suar. ait eſſe ſententiam; non tamen poſſet ſaluari, ſubſiſtẽtiæ incommunicabilitas, poſita illius actuali communione cum pluribus perſonis. Præterquamquòd non ſolùm hæc aſſociabilitas, inter ſubſiſtentiam illam abſolutam, & alias relatiuas, gratis aſſeritur; vt nuper diximus, ſed etiam ſi res ſubtiliùs conſideretur, hæc ſententia coincidit, cum ſententia Caietani, quam omnes impugnant. Quid enim eſt aliud ſuppoſitum Caietani, quàm cõſtitutum ex natura, & ſubſiſtentia, omnibus communibus?

munibus? Sed posita hac doctrina, daretur subsistentia omnibus communis, in natura communi. Ergo daretur hoc suppositum Caietani. Probo consequentiã. Nam darentur omnia illius cõstitutiua. Cùm ergo sit impossibile, non dari formaliter constitutum, vbi dantur omnia illius constitutiua, verificaretur omninò doctrina Caietani.

Neque obstat, quòd Sancti Doctores dixerint aliquandò, *diuinas personas habere vnitatem, in natura ex se subsistente, & in ipsa subsistentia diuinæ naturæ*, ut loquitur Hylar. 7. de Trin. ex Suar. in loco citato. Hæc enim non probant subsistẽtiam absolutam; sed solùm realem, naturæ cum illa identitatem, iuxta illud, quod nuper diximus ex D. Tho., quòd uidelicet in Deo non differant, *quod est, & quo est*.

Vidit subtilissimus, & acerrimi uiri ingenij Suarius, quam modo contrà illũ attulimus difficultatem. Et ideo ut illã uerbis eludat, se ita explicat ibidem n. 5. *Igitur licèt in Deo non sit vna subsistentia sumpta pro supposito, est tamen vna subsistentia absoluta sumpta prò re per se subsistente, etiamsi communicabiliter subsistat.*

Quam.

Quam significationem vel expressè, vel tacitè explicare semper oportet, nè detur occasio, vel suspicio erroris. Quod coincidit cum eo, quod antea diximus ex eodem, in expositione huius nominis *subsistētia*, uidelicet illud esse ęquiuocum, & modò accipi in concreto prò supposito, modò autem in abstracto prò ipsa subsistendi ratione formali. Verùm hoc effugium uidetur indignum tanto uiro. Sic enim contrà illum ratiocinor. Vel quando dicit, dari in Deo unam subsistentiam absolutam, Personis communem, nomine subsistentię, intelligit rem subsistentem, uel rationem subsistendi? Si primum. Ergo nihil in re dicit peculiare ab eo, quod asserunt omnes, uidelicèt dari in Deo naturā cōmunem personis, quāuis suum dictum obscuret, uerbo illo æquiuoco *subsistentia*, quod potuisset uitare; adeoque esset quæstio merè de uocabulo, an uidelicet natura diuina, dici possit aliquo modo subsistentia, nisi hoc uerbū fuisset iam determinatum ad unam partem. Si secundum. Ergo nihil ad rē, quia ex una parte abutitur terminis, contra communē Theologorū sensū, & ex alia idem dicit, quod impugnat in Caietano.

Quare

Quare à primo ad ultimum; hic modus dicendi, potuit fortasse ab aliquo ex uetustioribus admitti, priusquam determinaretur significatio *hypostasis*, & *subsistentiæ* (tunc enim erant uere termini æquiuoci); nunc autem, posita eorum determinatione significationis, neque sunt ampliùs æquiuoci, neque possunt absque nota, à catholicis accipi indiscriminatim, prò alterutra parte, ut ipsemet fatetur Aduersarius, postremis illis uerbis, quæ modo retulimus; *quam significationem explicare semper oportet, nè detur occasio, vel suspicio erroris.* Et ideo doctrinam illam de æquiuocatione huius termini, utpote antiquatam, impropriam, & abolitam non admitto.

Patet tertiò, esse ueram doctrinam Capreoli in 1. d. 26. ar. 3. in respons. ad argum. Dur. con. 1. concl., & in resp. ad arg. Aureol. con. 3., quòd uidelicet *detur in Deo vnum subsistere absolutum, non tamen vna subsistentia absoluta.*

Ratio est, quia cùm subsistere sit concretum, dicens subsistentiam ut formã, & naturam ut subiectum, potest ratione subiecti admittere communicabilitatẽ, quod non potest subsistentia, de cuius

ratione

ratione formali est incōmunicabilitas. Et ideo in Deo sunt tria supposita, constituta ex tribus subsistentijs, & eadem natura omnibus communi. Contra quā doctrinam (quam putat falsam) nihil probat Suar.disp.34.met.sect.1.n.5.his uerbis *quod non videtur adeo consequenter dictum, nam subsistentia à subsistendo dicta est. Vnde omnis res, quæ per se subsistit, potest dici subsistentia*, quod confirmat ex D.Tho.q.9.de pot.ar.1.ad 4.& deinde pergit. *Vnde eadem ambiguitas, quæ est in voce subsistentia, potest etiam esse in verbo subsistere*. Nihil, inquam, probat, quia subsistere est concretum, & subsistentia est abstractum. Potest ergo subsistens admittere communicabilitatē ex parte naturæ diuinę, quę est instar subiecti, nō autem ex parte subsistentiæ, quæ est instar formæ. Et ideo in Deo est unum tantùm subsistens absolutum, per tres subsistentias relatiuas.

Tertia conclusio. *Subsistentia in creatis non superaddit naturæ aliquid positiuum, sicut in diuinis, sed solùm aliquid negatiuū. Atque adeò dicit in recto ipsam naturam, & in obliquo negationem vnionis cum alio.* Quòd subsistentia diuina superaddat

naturæ

naturæ aliquid positiuum, saltem ratione ab illa distinctum, patet ex fide, quæ docet, in Deo esse tria supposita, constituta, & realiter inter sese distincta, per subsistentias relatiuas personales. Ergo, præter naturam, datur triplex subsistētia positiua terminans naturā, & simul cum illa constituens supposita. Si enim hæ subsistentiæ essent negatiuæ, etiam supposita essent negatiua, nihil enim haberent, per quod distinguerentur ab inuicem, præter negationes, quod est non solùm falsum, sed erroneum.

Probatur ergo conclusio, quoad aliā partē de creatis, primò quia finis unicus, & adæquatus subsistentiæ, est incōmunicabilitas substantiæ alteri, à quo intrinsecè perficiatur, & quod illa sistat in se. Sed hoc sufficienter habetur per ipsam naturam, & per negationem unionis cū alio. Ergo ad illam non est necessarium aliquid superadditum. Probatur minor, quia in tantū natura humana in Christo domino, caruit propria subsistentia, in quantùm fuit unita hypostaticè Verbo. Ergo per hoc precisè, quòd caruisset tali unione, substitisset in se, absque ullo alio superaddito. In quo obseruandum est, quod

quod supra aduertimus in sententia Scoti, nomine negationis intelligi, non solùm negationem unionis actualis, sed etiam aptitudinalis cum alio, ad excludendam animam rationalem.

Probatur secundò cum Scoto in 3. d. 1. q. 1. quia si dicatur, subsistentia esse positiua, duplex sequeretur absurdum. Primum est, Verbum diuinum non potuisse assumere totam humanitatem, posito quòd necessariò debuisset amittere subsistentiam, quod repugnat Damasceno lib. 3. fidei. c. 6. ubi ait *quod non est assumptibile, non est curabile*, id est possibile; & rationi, eo quia omnis entitas creaturæ, sit æqualiter in potentia obedientiali, respectu Dei, ut possit assumi. Alterum absurdum est, quòd Deus relinquere non posset humanitatem, nisi aliquid in illa de nouo crearet, uidelicet hunc modum, uel realitatem, supposita prò nunc ut probabiliore sententia, quòd natura esse non possit, absque aliqua subsistẽtia, & quòd hæc extrinsecùs fiat ab efficiente naturæ; uel saltem, si aliam supponimus, relinqueret illam imperfectam. Cum ergo hæc absurda uitemus in sententia opposita, in illam potiùs

potiùs inclinare debemus.

Probatur tertiò, quia hoc superadditum positiuum, uel esset modus, uel res? Neutrum est necessarium. Ergo nullum positiuum. Probatur de modo, quia hic r.ō.est possibilis, s. hē naturaliter, ut probatum est in primo lib., nisi ad ablationē extremorum indifferentiæ, ad aliquem effectum formalem, quem illa ceteroqui præstare non possent. Sed natura substãtialis, posita tali negatione, non est indifferens, ad hoc ut sistat in se, uel transeat ad alienum suppositum. Ergo non indiget modo. Multò minùs indiget realitate aliqua superaddita; Quid enim facceret hæc realitas? Non daret naturę esse simpliciter, quia hoc (ut ait Caietanus) natura habet ab existentia; Et idèo conuenit etiam accidentibus, quamuis careant subsistentia; Neque quòd natura substet accidentibus, seu perficiatur ab illis, quia hoc habet per merã unionem, seu inhærentiam accidentium in illa, tamquam in subiecto; Neque quòd natura habeat independentiam ab alio, tamquam à subiecto, quia natura substantialis cõpleta hoc habet à se; Neque demum quòd habeat incommunicabilitatem.

litatem. Nam uel est sermo de incommunicabilitate naturali; Et hæc sufficienter habetur per dictam negationē; Vel de supernaturali, & hæc haberi non potest per creatam aliquam realitatē, quæcunque illa sit, quia Deus uolendo, naturam alteri communicari, potest illā realitatē tollere à natura, sicut de facto fecisset in Christo, adeoque tolleret etiā incommunicabilitatem. Ergo huiusmodi realitas superaddita, nullum planè præstaret formalem effectum, adeoque esset omnino superflua, & per consequens nullatenus est admittenda.

Ex dictis facilè soluitur illa quæstio, an uidelicet persona creata possit assumere alienam naturam, sicut fecit diuina? Positò enim, quòd sola persona diuina sit adæquatè positiua, illa solùm poterit alienam terminare naturam. Siquidem creata, cùm sit formaliter negatio unionis cum alio, eo ipso quòd natura humana alteri vnitur, necessariò amittit rationem personæ, quia amittit negationem vnionis cum alio.

Obijcies primò cum Suario, disp. 34. met, sect. 2. n. 13. Si subsistentia esset aliquod negatiuum, quando Concilia, &

Pa-

Patres definiuerunt, in Christo Domino non remansisse propriam subsistentiam naturæ humanæ, ineptè locuti essent; Idem enim dixissent, ac si dixissent *cum vnione humanitatis cum Verbo diuino, non remansit negatio vnionis cum illo*, quod esset ridiculum. Consequẽs est absurdũ. Ergo & antecedens. Nego sequelam maioris. Primò quia quamuis illa duo realiter sint idem, non tamen faciunt propositionem identicam, eo quòd formaliter distinguantur. Sicut ergo definiendo hominem *est animal rationale*, non facio propositionem identicam, siue ridiculam, quamuis homo sit idem realiter cũ animali rationali; Ita neque Concilia, & Patres ineptè locuti sunt, illud definiendo, eo quòd conceptus subsistentiæ sit formaliter diuersus, à conceptu negationis vnionis, quamuis obiecta sint realiter idem. Deinde quia Cõcilia, quando hoc dixerunt, non supposuerunt vnionem physicam, & realem inter Verbum diuinum, & Christi humanitatem, sed potiùs illam exinde probarunt. Agebant enim contra Nestorium, qui, & impiè admittebat in Christo duas personas, & perfidè negabat

bat veram unionem, inter naturam humanam, & Verbum, quam dicebat esse vinculum quoddam morale per gratiã, protectionem, & beneuolentiam Dei. Definitio ergo Conciliorum non facit sensum allatum, sed ex vna parte statuit in Christo vnitatem personæ, & ex alia, ex vera ablatione negationis vnionis, infert veram vnionem. Hoc autem ita probant, posita vnione hypostatica inter humanitatem, & Verbum, humanitas nõ remanet in Christo, vt aliquod totum per se subsistens, sicut remanet in ænergumeno, post vnionem cum Demone. Ergo talis vnio humanitatis, cum Christo est vera, physica, & substantialis, alioquin non posset formaliter excludere veram, & physicam negationẽ vnionis cũ alio. Potius ergo hic modus loquendi Conciliorum nobis fauet, quã aduersetur, quidquid ex aduerso exclamet Arriaga, dicta disp. 4. met. sect. 11. sub. sect. 1. n. 87.

Dices cum eodem, nemo potuisset negare, simul cum vnione hypostatica non remansisse negationem vnionis. Ergo quando Concilia definiuerunt, contra hæreticos, non remansisse in Christo

Christo subsistentiam creatam, supposuerunt, ab illis admitti in Christo Domino, subsistentiam creatam positiuã. Ergo subsistentia est positiua. Hoc argumentum est undequaque solubile, quamuis plurimi fiat ab Arriaga. Et ideo ad illud tripliciter respõdeo: Primò transeat prima consequẽtia. Quid inde? Ergo subsistẽtia est aliquid positiuum, nego secundam consequentiam. In quo miror, quomodo non aduerterit Arriaga hanc secundam consequentiam, quã, probare deberet, non sequi ex ueritate alterius antecedentis quæ est omninò ad istam impertinens. Quid enim nobis est cum hæreticis? Esto, dixerint illi, subsistentiam humanam esse positiuã, sicut supposuere Cõcilia, illamque in Christo Domino remansisse. Quid ergo? Dupliciter errarunt, philosophicè, & theologicè, philosophicè in primo, & theologicè in secundo. Nos illos in neutro sequimur, & facimus illos malos philosophos, sicut illos Concilia, & Patres omnibus declararunt vt pessimos Christianos, immò vt perditos hæreticos. Bene igitur fuit opus ieiunijs, orationibus, & vigilijs, ad illorum errores corripiẽdos,

qui

qui posito intellectus errore, in contumacem voluntatis nequitiã ruere præcipites; & quibus nisi Cõcilia occurrissent, secum traxissent infidelitatem multò peiorem, circa ipsam incarnationem dominicam, adeoque totam christianã abstulissent, fidem. Nihil ergo Concilia definierunt circa materiam illam philosophicam de subsistentia, sed solùm errorem theologicum abstulerunt, quem vtique etiam abstulissent, si huiusmodi hæretici oppositum sensissent, in philosophicis.

Deinde distinguo antecedens, nemo potuisset hoc negare prudenter, concedo, imprudenter nego. Et ideo omnis hæreticus peccat discredendo, quia imprudenter discredit, vt suam foueat malitiam, non quia verè ita putet.

Tertiò distinguo aliter idem antecedens, nemo potuisset negare, simul cum vnione hypostatica, non remansisse negationem illius vnionis in Christo, sub istis terminis, explicitè cognitis, concedo; sub alijs terminis, nego antecedens, & cum illo consequentiam. Sicut enim nemo negat simul, & concedit existentiam Dei, sub his terminis explicitè co-

O gnitis,

gnitis, & tamen ipse Aristoteles admisit existentiam Dei, quam simul negauit, auferendo ab illo libertatem, sine qua Deus existere non potest, quia careret maxima perfectione, adeoque non esset Deus. Ita omnes hæretici admittunt Deum, quem simul negant, non admittendo aliquas illius perfectiones essentiales, cuiusmodi sunt prouidentia, iustitia, &c. sine quibus non datur Deitas; vel illi addendo aliqua prædicata pugnātia cum Deitate. Quare potuerunt illi hæretici explicitè admittere vnionem hypostaticam, & implicitè tantùm eius negationem, quatenùs videlicèt errātes, in opinione philosophica, de quidditate subsistentiæ, putarunt, illam esse realitatem, illamque simul cum sui contradictorio, temerè copularunt. Quòd si exinde hæretici conuincuntur vt stulti, & ignari, melius est, & potius ex isto capite, omnes fideles catholici meā deberent doctrinam amplexari. Præterquamquòd intentū Cōciliorum erat saluare in Christo, cōmunicationē ideomatū, inter Verbū diuinum, & humanitatē. Nihil ergo curarunt de quidditate formali subsistentiæ humanæ, sed illam penitùs excluserunt

cluserunt à Christo, quidquid tandem statueretur à Philosophis illam esse. Non ergo valet cosequentia ex determinatione Conciliorum, ad quidditatem subsistentiæ.

Obijcies secundò, si subsistentia nihil superaddat positiuum, non daretur in Christo communicatio idiomatum, per quam Deo tribuuntur prædicata hominis, idest nati, passi, mortui, &c. & viceuersa homini tribuuntur prædicata Dei, idest omnipotentis, omniscij, &c. Consequens est erroneum. Ergo falsum est antecedens. Probatur maior, quia hoc nomen *homo* significaret solùm naturam humanam, quæ nullo modo est Deus. Sin autem dicatur, esse aliquid positiuũ superadditum, bene potest saluari quomodo homo sit Deus, quia cùm homo præter naturam humanam, dicat subsistentiam, si loco subsistentiæ creatæ, ponatur increata, verè Deus est constitutiuũ intrinsecũ huius suppositi *homo*, & per consequens verè homo est Deus.

Nego sequelam maioris primò, quia hic non est sermo de subsistentia diuina, sed solũ de creata. Quare adhuc ablata in Christo subsistentia negatiua

creata, sequitur communicatio idiomatum, per aduentum subsistētiæ increatæ. Deinde quia tam *homo* significat *habens humanitatem, quàm Deus habens deitatē,* siue per identitatem adæquatam, siue per inadæquatam, vt ait D. Tho. in 3. p. q. 17. ar. 1. in corp. Ad hoc ergo vt detur aliquid, quod simul sit homo, & Deus, satis est, quòd illud includat humanitatem, & diuinitatē. Sed posita vnione hypostatica, inter naturam humanam, & Verbum diuinū, verè daretur aliquod compositū, quod dicitur Christus, simul habēs humanitatem, & diuinitatem, tamquam intrinseca sui constitutiua. Ergo verè de illo affirmatur tam Deitas, quàm humanitas, adeoque verè in illo datur communicatio idiomatum, quomodocunque fiat illa vnio hypostatica, siue per ablationem solius negationis in homine, siue per exclusionem modi substantialis, siue quacunque alia ratione excogitabili. Et ratio à priori est, quia impertinēter se habet ad communicationem idiomatum, quidquid dicatur de subsistentia creata, quæ debet auferri in omnium sententia, dummodò saluetur diuinitas subsistentiæ in-

creatæ,

creatæ, per cuius aduentum fiat sacrosanctum illud miraculum compositi theantrici, id est diuini simul, & humani.

Obijcies tertiò. Ergo suppositum diuinum non est vnum per se, sed per accidens, quia includit negationem subsistentiæ. Nego consequentiam primò, quia, vt toties diximus, nos nõ loquimur de subsistentia increata, quam dicimus adæquatè positiuam, sed solùm de creata. Et deinde quia subsistentia dicit in recto naturam, & solùm in obliquo superadditũ negatiuum. Illud ergo, quod constituit suppositum, nõ est obliquum subsistentiæ, sed rectum. Quare etiamsi diceremus, subsistentiam diuinam esse negatiuam, adhùc non sequèretur, suppositum esse vnum per accidens.

Obijcies quartò. Verbum diuinum ita in se subsistit, vt tamen alteri substãtialiter, seu hypostaticè vniatur. Ergo non est de ratione subsistentiæ, quòd dicat negationem vnionis cum alio. Distinguo consequens, si sermo sit de subsistentia creata, nego: si de increãta, concedo consequentiam. Rationem disparitatis attulimus in art. 1., quando probauimus, diuinam subsistentiam esse

positiuam, & creatam negatiuam. Præter quamquòd Verbum diuinum ita vnitur humanitati, vt ab illa per talem vnionem non perficiatur. Quando autē dicimus, subsistentiam dicere formaliter negationem vnionis cum alio, locuti sumus de vnione perfectiua suppositi, seu naturæ suppositatæ, non autem de vnione non perfectiua. Vnde sequitur, quòd etiamsi admitteremus necessariā formaliter negationem, in subsistentia increata, premeremur quidem alijs difficultatibus, ad quas euitandas, oppositum supra docuimus conclus. 3., hac tamen nullatenùs premeremur, eo quòd Verbum per talem vnionem cū homine, nullo modo perficiatur in Christo, sed relinquitur adæquatè in suo esse, quamuis perficiat ipsam humanitatem. Non ergo hæc vnio pugnaret contradictoriè cum negatione illa, in qua formaliter consisteret subsistentia, quam solùm dicimus opponi vnioni perfectiuæ ipsius suppositi. Quare siue hoc concedatur, siue negetur, semper remanet solutum argumentum.

Alia argumenta, quæ congerunt Vasquez, Valentia, Suarius, Arriaga, Auersa,

Auersa, alijque recẽtiores, cùm omnia directè tendant contrà eos, qui asserunt, subsistentiam diuinam esse negatiuam; Ideò, vt minimè nos impugnantia, missa facimus.

ARTICVLVS SECVNDVS.

An possit dici, suppositum diuinum, in Christo Domino, habuisse aliquam incæptionem?

Parergon quintum.

VEnio nunc ad propositam difficultatem, initio articuli superioris, videlicet, an possit dici, esse veram hanc propositionem, *per vnionem hypostaticam, factum est in Christo nouum suppositum, ex verbo æterno, simul cum humanitate?*

Prima conclusio. *Suppositum diuinum, vt constitutum ex subsistentia Verbi, & sola natura diuina, nullam habuit omninò incæptionem.* Est de fide, vt definitum est, contra Arrianos. Prætereà probatur primò, quia suppositum diuinum, vt tale formaliter, est Deus adæquatè, & nihil.

hil includit non diuinum. Sed Deus, & omne diuinum, vtpote cum Deo identificatum, fuit ab æterno. Ergo suppositum diuinum, vt constitutum ex sola natura diuina, & personalitate, fuit ab æterno. Sed illud, quod fuit ab æterno, non incæpit esse, eo quòd incæptio dicat tempus posterius ad illud, in quo incipiens non fuit, vt probabimus in libris de generat. Ergo suppositum diuinum, vt tale non incæpit. Deinde quia, omne incipiens, ab alio accipit esse, cùm nihil se ipsum ponat. Sed nihil diuinum est ab alio, eò quòd peculiaris diuinitatis tessera, sit independentia ab omni alio. Ergo nihil diuinum incæpit esse. Omnia sunt euidentia.

Secunda conclusio. *Suppositum diuinũ, vt constitutum ex duplici natura, diuinæ scilicet, & humana, verè habuit aliquam incæptionem.* Probatur primò ex D. Tho. 3.p.q.16.ar.3.in resp.ad 2.vbi hæc habet *illud vnum suppositum, quod est humanæ, & diuinæ naturæ, primò quidem fuit diuinæ naturæ, scilicet ab æterno; postea autem ex tempore, per incarnationem, factum est suppositum humanæ naturæ. Et hac ratione dicitur humanatum, non quia aßumpserit hominem,*

hominem, sed qui assumpsit humanam naturam . Vbi aduertantur illa verba *ex tempore factum est suppositum humanæ naturæ*; videlicet suppositum diuinum, quatenùs constituitur etiam ex humana natura, incæpit esse in eo tempore, in quo facta est incarnatio, non inceptione se tenente ex parte subsistentiæ, seu naturæ diuinæ, quod esset arrianismus, sed ex parte vnionis hypostaticæ, qua suppositum diuinum, quod fuit ab æterno, incæpit terminare naturam humanam, quam prius non terminabat.

Probatur secundò ex Damasceno lib. 3.c.4. vbi ait *Christus, qui Deus est, & homo, dicitur & creatus, & increatus*, quod idem explicat, & magis ad rem nostram cõfirmat deinde lib.4.c.5. his verbis, *ipsa vna hypostasis Christi, & increata est deitate, & creata est humanitate*. Sed hypostasis Christi est ipsius subsistentia, vt probauimus supra. Ergo quatenùs hæc constituitur in vnum Christi suppositum, ex duplici natura, diuina, & humana, admittit æternitatem ab illa, vnde dicitur increata, & inceptionem ab hac, vnde dicitur creata. Quam doctrinã refert, & approbat D.Tho. in 3.p.q.16. ar. 8. in

resp. ad 2. his verbis, *omnes proprietates humanæ naturæ, sicut & diuinæ, possunt aliqualiter dici de Christo*. Quod si omnes proprietates. Ergo etiam inceptio, quæ est maximè propria cuiuslibet creaturę. Sed prò Christo venit suppositum, vt probat D. Tho. in dicta disp. 16. Ergo supposito Christi aliqualiter conuenit inceptio.

Probatur tertiò ex Scoto in 3. d. 7. q. 1. vbi instituit quæstionem *de esse actualis existentiæ, prout distinguitur ab esse essentiæ, & esse subsistentiæ* (loquitur hic de existentia suppositi, supponendo distinctionem inter essentiam, & existẽtiam) *est dubitatio, vtrum sit aliquod esse tale in Christo, aliud ab esse increato?* Et soluit quæstionem inferius *dico etiam vlteriùs, quòd est alia existentia ab increata, quæ sit propria existentia huius suppositi*, videlicet Christi. Quare Scotus dicit, suppositum Christi Domini habere, non solùm existentiam increatam, sed etiam aliam, scilicet creatam. Sed hæc importat inceptionem, vt nuper probauimus. Ergo suppositum Christi, vt existens duplici existentia, aliqualem dicit inceptionem. Hãc autem doctrinam fusè prosequitur

Scotus

Scotus in loco citato, & post multa subdit, *& simpliciter primùm declaro per oppositum. Ideo enim existentia pedis mei non est existentia mei, licet sit in me, quia ego non sum pes, neque subsistens respectu pedis, sicut suppositum respectu naturæ; sed e conuerso magis pes existit per existentiam mei. Et ideo existentia pedis non est alia ab illa, qua existo, sed tantùm est aliqua existentia partialis in illa, qua existo. Sed oppositum est hic. Verbum enim subsistit in natura humana, sicut suppositum in natura, propter quod propriè dicitur homo; Et ideo propriè est existens existentia huius naturæ.* Quòd si suppositum existat existẽtia naturæ humanæ, cùm hæc incæperit, vtique per necessariam consequentiam, ipsum quoque suppositum, vt tale incæpisse necesse est. Illud enim incipit, quod habet nouam existentiam. Sed hoc suppositum habet nouam existentiam, videlicet naturæ humanæ. Ergo incipit. Et nè aliquis fortasse dubitet, an hoc sit asserendum tantùm, cum illa determinatione, *incæpit quoad naturam*, paulò post addit, *secundò dico, quòd simpliciter* (puta suppositum Christi) *existit ista existentia*, videlicet creata. Quod idem probat

inferiùs, *existentia autem naturæ humanæ, est existentia substantiæ. Igitur cùm Verbū diuinum simpliciter sit homo, simpliciter existit illa existentia.* Et adhuc inferiùs, ut meliùs se explicet, difficultatem soluit, per modum obiectionis, *& si dicas quòd verum est, quòd eius existentia* (loquitur de humana natura) *in se sit existentia simpliciter, non tamen in Verbo, còntra. Qualis est existentia in se, tale existere dat cuicunque existēti per ipsam. Verbum existit existentia ista, scilicet per naturam humanā. Igitur per illam simpliciter existit.* Quod idem confirmat primò auctoritate Damasceni c. 60. & deinde multis alijs rationibus ingeniosis, quas longissimum esset recensere.

Nusquàm tamen propiùs difficultatem tangit, quàm in dicto tertio lib. dist. 11. q. 3., ubi sub proprijs terminis nostrā probat conclusionem; Nam initio capitis hæc habet, *Quæritur vtrùm Christus incæpit esse? Quòd sic videtur, quia Christus nominat suppositum duarum naturarum, secundùm Damascenum c.* 49. Et deinde pergit, *sed suppositum duarum naturarum incæpit esse. Ergo suppositum Christi incæpit esse.* Quibus assensum præstat, in fine articuli,

ticuli, seu quæstionis, his verbis, *argumenta patent, quia procedunt secundùm quòd de Christo, ratione duarum naturarum, dicuntur proprietates vtriusque naturæ; Et ita ratione naturæ diuinæ, & humanæ, potuit simpliciter incipere, & non incipere esse.* Ergo per Scotum subtilissimorum Principem præclarissimum, quem iure quidem optimo, tam pia, & docta, sub Francisci Seraphici vexillo, militantium turba pænè innumerabilis, vt auctorem irrefragabilem sequitur, & ego semper vt subtilissimè, & ingeniosissimè philosophantem colui, & suspexi; per Scotū, inquam, optimè potest dici cum Damasceno, *suppositum duarum naturarum*, videlicet Christi Domini, *incæpit esse*. Rationem ipse affert in textu his verbis, *si Christus imponatur ad significandum Verbum hominem, secundùm Damascenum c. 49., poterit de hoc subiecto prædicari aliquid, vel ratione totius, vel ratione partis alicuius. Sicut igitur si Christus, secundùm humanitatem, est mortuus, Christus est mortuus: ita si, secundùm humanitatem, incæpit esse, Christus incæpit esse. Ita quòd si hoc prædicatum possit verè enuntiari de hoc subiecto, ratione illius partis subiecti,*

videtur

videtur quòd simpliciter possit enuntiari de eo. Cùm ergo affirmetur à Damasceno, quem hic Scotus refert, & sequitur, quòd *suppositum duarum naturarum incæpit esse*, etiam Scotus hoc ait. Et paulò inferius subdit, *simpliciter ergo de vi sermonis posset concedi, quòd Christus secundũ quòd importat hoc, quod est Verbum homo, incæpit, hoc est habet aliquod esse simpliciter, quod prius non habuit, licet illud non sit primum eße Christi*. Et infra *hoc modo etiã posset concedi ista propositio, iste homo incæpit esse, de subiecto demonstrante suppositũ, non tamen nudè, quia non in natura diuina, sed vt in natura humana, verum est enuntiare inceptionẽ simpliciter illius subiecti, ita quod non debeat concedi, filius Deus incæpit eße, sicut Christus, vel iste homo incæpit esse*. Sed iste homo demonstrat suppositum Christi. Ergo suppositũ Christi incæpit esse. Et deinde respondet obiectioni, quæ posset fieri contra illum de natura diuina, *& si dicas, quod iste homo non potest supponere, nisi pro supposito naturæ diuinæ, dico quòd verum est* (vbi aduertatur hoc verbum, *quod verum est*, nam Scotus fatetur, se loqui de supposito naturæ diuinæ) *tamen potest supponere pro*

prò illo, vt est suppositum in natura humana; sicut Sortes albus supponit prò supposito substantiæ, tamen vt in albedine existens. Quod si quis illi opponat, huiusmodi modum loquendi, non fuisse vsitatum à Sanctis Patribus, tempore antiquo, statim affert rationem, *sancti tamen noluerũt istã propositionem*, (puta suppositum Christi Domini incæpit esse) *propter hæreticos, qui dixerunt, Christum simpliciter incipere, quantum ad primum esse, ponẽtes, eum esse puram creaturam*. Hoc autem ait, non sequi ex eo, quod dicatur, suppositum Christi incipere, vt est in natura humana, *sed incipere esse, non importat hoc, quod est creatura*, videlicet suppositũ diuinũ incipere, vt est in natura diuina. Ergo concludit, posse optimè adhiberi illam propositionem, & de facto illam etiam credit, vsurparent nunc sancti Patres, cùm arrianismus perit, si iterum ad vitam reuocarẽtur. Quid ais, Aduersari? Quid cogitas? Hæresim nè scriptor admisit, verbo illo *suppositum Christi incæpit*, an tu illius censura, ignorantiam tuã patefecisti? Sed pergamus ad alia.

Probatur quartò ex S. Leone Papa, quem refert D.Tho. in 3. p. q. 16. ar. 8., dicente

dicente *noua & inaudita conuentio, Deus qui est, & erat, fit creatura*. Fit creatura. Ergo incipit, non secundùm naturam diuinam, sed secundum suppositum, vt est in natura humana.

Quintò ex D. Augustino supra Io. 1. asserente *Dominus Iesus factus est homo, vt qui creator semper fuerat, fieret creatura*. Et lib. 2. contra maximin. Arrianor. ep.c.17. super illud D.Pauli *in similitudinem hominum factus*, hæc habet *Scito, factum esse filium Dei, sed in forma serui; nam in forma Dei vsque adeo nō est factus, vt per illum facta sint omnia. Si enim ipse factus est, non per illum facta sunt omnia, sed cætera*. Tum sic. Filius Dei, idest suppositum diuinum, factus est in forma serui, idest factum est in Christo suppositum naturæ humanæ. Ergo habuit aliquam incæptionem, extrinsecam quidē, & remotam, quatenùs est suppositum solius diuinæ naturæ; intrinsecam verò, quatenus est etiam suppositum humanæ, seu duarum naturarum, vt locuti sumus ex Damasceno.

Probatur sextò ex D. Hyeronimo, quem referunt Scot. in 3. d. 11. q. 1., & Durand. in 3. d. 12. q. 1. n. 4. super illud

Ephes.

Ephes.2. *ipsius factura sumus*, hæc apertè, coram omnibus, profitente, *multi timore trepidant, nè Christum creaturam dicere compellantur; Nos autem liberè proclamamus, non esse periculum dicere, Christum esse creaturam*. Tū sic, Christus est creatura, vt patet ex his præclarissimis Doctoribus. Sed creatura incæpit esse. Ergo Christus incæpit esse. Sed Christus dicit suppositum. Ergo suppositum Christi incępit esse. Caueas tamē, nè dicas Christum esse creaturam, secundùm totum, hęc enim est hęresis Arrianorum, ad quā vitādam, solent Doctores in communi modo loquendi, abstinere ab asserendo, Christum esse simpliciter creaturam. Et ideo D.Tho. in loco citato ar.8. in corp. ait, *nè hæreticorū errori fauere videamur, non est absolute dicendum, quòd Christus sit creatura, sed cum determinatione, scilicet secundùm humanam naturam*, non quòd illa propositio sit hæretica, vel falsa, sed nè vel remotissimè hæreticis fauere videamur, & nè ansam rudibus præbeamus, in errorem aliquem prolabendi, totum cum parte miscendo.

Probatur septimò ratione à priori, suppositum Christi dicit, vt constitutiuum

tiuum intrinsecum, ipsam naturam humanam, vt huc vsque probauimus, & est de fide. Sed hæc incæpit esse, vt etiam est de fide, & patet ex illis, *liber generationis Iesu Christi filii Dauid &c.* Ergo suppositum Christi, secundum aliquod sui constitutiuum intrinsecum, incæpit esse.

Neq; obstat, quòd D. Tho. ar. 9. quæst. cit. dicat *cùm his vocibus, hic homo, demōstrato Christo, suppositum designetur, hæc propositio hic homo, demonstrato Christo, incæpit esse, simpliciter falsa est.* Nam S. Doctor loquitur ibi potiùs adhortatiuè, vt nuper diximus de verbo *creatura*, non autem assertiuè. Hoc autem manifestè patet ex ijs, quæ ait in eodem loco, loquendo de hac propositione *Christus incæpit esse.* Dicit enim *etiam si esset vera, non tamen esset ea vtendum, absque determinatione, ad euitandam hæresim Arrii.* Non ergo Angelicus asserit, illam propositionem esse simpliciter falsam, sed solùm non ita facilè vsurpādam, nè aliis præbeatur occasio suspicandi, illam accipi in sensu Arrij, alioquin contradiceret ijs, quæ ex ipso supra retulimus, & referemus. Præterquamquod, etiamsi Diui Thomæ obstaret auctori-

tas

tas, non tamen proinde doctrina esset hæretica, cui fauent tot alij magni nominis Doctores, vt hactenùs exposuimus.

Probatur demùm à pari, verè dicitur de diuino supposito, quod fuerit passū, mortuum, resurrexisse, &c. quæ sunt de fide, vt probat D.Tho.3.p.q.46.ar.12. Et ideo approbatur in Concilio Ephes. can. 12. dictum Cyrilli, *si quis non confitetur, Dei Verbum passum carne, & crucifixum carne, anathema sit*. Sed hæc omnia habent correlationem ad initium, non enim potest mori, quod numquam incępit; Neque potest pati, quòd mortale non sit. Ergo verè de illo dicitur incæpisse, inceptione mortalitatis, quam de nouo assumpsit. Et ideo S. Tho. dicta disp.16.ar.4.in corp.ait, *cùm vna, eademque hypostasis, vtriusque naturæ nomine supponatur, perspicuum est, ea quæ sunt diuinæ naturæ, de homine dici posse, tamquam de hypostasi diuinæ naturæ, & quæ humanæ naturæ sunt, de Deo, tamquam humanæ naturæ hypostasi.* Et adhùc clariùs q. mox citat.46.ar.12. hæc habet *cùm eadem sit in Christo vtriusque naturæ, diuinæ scilicet, & humanæ, hypostasis, pertinet Christi passio*

sio ad diuinæ naturæ suppositum. Nõn poterat profectò distinctiùs attingere positam difficultatem. Quis enim est, qui non intelligat, si vnum excipias Aduersarium, omnis planè rationis expertem, suppositum diuinæ naturæ non potuisse pati, nisi priùs fieret passibile, cùm ratione diuinæ naturæ, esset omninò impassibile? Quomodo autem fieret de nouo passibile, si nullam diceret intrinsecam nouitatem? Et nouitas quomodo haberi potest, absque incæptione, cùm ipsa formaliter sit incæptio? Dicendum ergo est, illud formaliter intrinsecè incæpisse. Sed quia neque diuina natura, neque ipsum diuinum Verbum potuerunt incipere, quamuis oppositum impiè somniauerint Arriani. Ideo diuino supposito tribuitur incæptio, *non ratione diuinę, sed ratione humanæ naturæ, quę sola passibilis erat*, vt subdit D. Tho. in loco citato.

Ex dictis infer, verissimam esse illam propositionẽ, initio huius articuli propositam, uidelicet *per vnionem hypostaticam factum est in Christo nouum suppositum, ex Verbo æterno simul cum humanitate*, non quidem nouitate naturæ diuinæ,

sed

ſed humanæ. Vnde probatum ſequitur euidenter, ſcriptoris lapſum fuiſſe quidem mendum reſpectu mei, qui numquam uerbum illud *ſuppoſitum* poſui, in meis ſcriptis, ſed loco illius poſui *compoſitum*; in ſe uerò fuiſſe dictum uerißimùm theologicè, adeoque iniuria tantùm, & abſque ullo fundamento, damnatum ut hæreticum ab Aduerſario.

Finis Libri Secundi.



LIBER



LIBER TERTIVS

Disputationum Metaphysicarum

Auctore Petro de Comitibus Romano, artium, & Sacræ Theologiæ Doctore.

Longiùs aliquantò processimus, theologicis digressionibus insistentes, quàm nostri ratio requireret instituti. Nunc autem vt ad ea, vnde digressi sumus, iterum reuertamur, de ipsa intrinseca entis rationis forma, deque eius (vt ita dicam) conceptibilitate, hoc libro potissimum disputabimus. Quia tamen hæc materia in se metaphysica, primū scriptis, deinde etiam oretenus euulgata, ob rei subtilitatem non ita passim fuit ab omnibus vt par erat, percæpta. Ideo, vt fieri solet, multorum, odiis impetita, cùm illam arietibus philosophicis prostrare solo non possent, tor-

tormentis quoque theologicis inuaserunt. Duplicem igitur disputationem instituemus hoc libro, alteram philosophicam, theologicam alteram, digressionibus redundantem. In prima doctrinam in vniuersùm rationibus philosophicis roborabimus; Et in secunda etiam theologicè, auctoritatibus vndequaque petitis, e doctoribus praeclarissimis, reiectis iis, quae in contrarium afferuntur ab Aduersariis, singillatim omnia confirmabimus.

DISPVTATIO PRIMA

De forma, et conceptibilitate Entis rationis, philosophicè considerati.

ARTICVLVS PRIMVS

Quid, & quotuplex sit Ens rationis?

NOtādum primò, nomine entis rationis in genere, intelligi totum illud, quod aliquo modo est opus rationis, idest intellectus. Hoc autem tripliciter

ter potest fieri, uidelicet *subiectiuè, directiuè*, uel *obiectiue*. Illud dicitur esse subiectiuè in intellectu, quod recipitur in illo, tamquàm in subiecto inhæsionis, ut sunt species intelligibiles, habitus intentionales, &c. Illud dicitur esse directiuè in intellectu, quod fit dependenter ab aliqua idea formali, existente in illo, idest dependenter ab aliqua cognitione directrice, quæ appellatur *idea fotmalis*, ut est e. g. pictura, statua, &c. quæ fiunt per cognitiones directrices, existentes in mente artificis. Demùm illud est obiectiuè in intellectu, quod est obiectum alicuius cognitionis, idest cognoscitur per aliquam cognitionem illius.

Notandum secundò, illa omnia, quæ existunt in intellectu, uel subiectiuè, uel directiuè, dici entia rationis logica (de quibus hìc non agimus) eo quòd cùm logica, tota sit, circa directionem intellectus, & hæc omnia sint formaliter, uel uirtualiter directio intellectus, spectant ad eius considerationem.

Notandum tertiò dupliciter posse dici aliquid *reale*. Primò quatenus opponitur *impossibili*, & significat idem, atque *possibile*. Secundò quatenus oppo-

tur

nitur ly *formal*, significat idem, atque *à parte rei*. Hic non accipitur in hoc secundo sensu, in quo nullum ens rationis logicum est reale, sed in primo, in quo omne ens, siue fiat per intellectum, siue non, dummodò verè existat, vel possit existere, dicitur reale. Adeoque omne ens rationis logicum est ens reale; quod idem dico suo modo de negatiuis. Hoc autem bene aduertendum est, quia præcipue difficultates, quæ insurgunt in hac materia, maximam partem oriuntur ex eo, quia confunduntur hi termini, *ens rationis logicum*, & *metaphysicum*; & quia non bene aduertitur duplex consideratio, seu significatio huius termini *reale*. Multi siquidem falsò putant, id omne, quod extra intellectum non potest existere, nō esse reale in primo sensu, adeoque esse impossibile. Et ideo dicunt, vniuersalia, concreta secundarum intentionum, aliaque id genus, uel esse formaliter impossibilia metaphysicè, uel formaliter constitui per aliquod metaphysicè impossibile.

Notandum quartò, ea quæ existunt obiectiuè in intellectu, posse dupliciter se habere. Primò ita ut nihil aliud habeant,

beant, præter hoc, quod est *obiici intellectui*, idest *cognosci*. Secundò ita ut præter hoc, habeant etiam aliud esse, ut paries e.g., qui quamuis sit obiectiuè, in intellectu, per hoc quòd sit obiectum cognitionis A., tamen existit etiam à parte rei, adeoque præter esse obiectiuum, habet aliud esse, uidelicet existentiam realem. Quod idem dico de ipsamet cognitione A., quatenùs cognoscitur per aliam cognitionem reflexam; siquidem ita habet esse obiectiuè, respectu cognitionis reflexæ, ut habeat etiam esse subiectiuè in intellectu, in quo utraque recipitur, tamquā in subiecto inhæsionis. Ea igitur, quæ habent solùm esse obiectiuum in intellectu, dicuntur entia rationis metaphysica, seu impossibilia, uel chymeræ, eo quòd superent uires totius naturæ, immò etiam potentiam absolutam, & illimitatam ipsius Dei; atque adeo neque existunt, neque possūnt existere. Et de his tantùm erit præsens questio. Cætera, quæ præter esse obiectiuū, habent aliud esse, uel actu, uel potentia, quia reducūtur ad entia rationis logica, quæ habent, uel possunt habere realem, & ueram existentiam, sunt formaliter

entia

entia realia,& possibilia, eorumq; cõsideratio,sub diuersis formalitatibus,partim spectat ad logicam, partim ad animasticam,partim ad metaphysicam,& ad alias scientias.His præmissis,loquendo cum communi,sit.

Prima conclusio.*Bene definitur ens rationis metaphysicum, si dicatur esse illud, quod habet tantùm esse obiectiuè in intellectu.* Probatur,quia per ly *habet esse obiectiuè in intellectu*,confunditur cum omnibus alijs entibus rationis etiã logicis, à quibus distinguitur per ly *tantũ*. Quare primæ particulæ sunt loco generis, & vltima loco differentiæ. Cùm igitur hæc definitio, ex vna parte, sit clarior definito; & ex alia conueniat omni, & soli enti rationis metaphysico, eiusque bene explicet essentiam per genus, & differentiam, videtur esse optima definitio. Dixi *videtur,* quia prò nunc nihil statuo hac super re, sed solùm loquor, supponendo communiorẽ Philosophorum sententiam de hac materia, videlicet posse dari huiusmodi ens rationis, quod definiuimus.

Secunda conclusio. *Per ly tantùm excluditur omne aliud esse,nõ solùm actuale,*

verùm etiam possibile, præter obiectiuum. Probatur primò, quia illud, quod potest habere aliquod esse reale, quamuis de facto illud non habeat, est simpliciter possibile, & reale. Sed omne aliud esse, præter obiectiuum, est reale, vt vidimus in 4. notando. Ergo excluditur à chimæra; Alioquin si hæc posset habere aliud esse, præter obiectiuum, non esset simpliciter impossibilis, sed possibilis. Maior est euidens. Minor probatur, quia omne aliud esse, præter obiectiuum, uel habetur per intellectum, uel non? Si primum. Ergo est vel subiectiuum, vel directiuum, vt vidimus in primo notando, quod vtrũque est reale. Si secundũ, ergo est aliquid existens à parte rei, atque adeo, & multò magis, est ens reale. Probatur secũdò, quia alioquin omnia merè possibilia essent chimæræ; cùm enim nunc nihil sint, nihil eorum datur, præter *cognosci*, atque adeo de facto nullum aliud habent esse, præter obiectiuum. Sed hoc est falsũ, quia huiusmodi entia sunt realia, per potẽtiam ad esse reale; Quis enim dicet, alium mundum esse impossibilé, quia de facto nihil est? Ergo ly *tantùm*, in definitione chimæræ, excludit

cludit omne aliud esse, etiam in potentia; nè illam confundat cum mere possibilibus, adeo quae faciat possibilem, & realem.

His positis, celeberrima oritur difficultas, an videlicet, verè possit concipi aliquod obiectum, quod in se nihil habeat, neque possit habere, praeter esse obiectum, seu cognosci? Quae difficultas examinatur per quaestionem, *An detur ens rationis?* Aliqui supponentes, particulam *est*, in propositionibus affirmatiuis, significare obiectiuam extremorum identitatem, & in propositionibus negatiuis, negationem identitatis, dicunt, per omnem propositionem inuerificabilem fieri ens rationis. Quare per hanc propositionem *homo est ferrum*, dicunt cognosci ex parte obiecti, non solum *hominem*, vt subiectum, & *ferrum* vt praedicatum, quae sunt realia, sed insuper identitatem inter vtrumque, quae cùm realis esse non possit, est omninò impossibilis. Et per hanc propositionem *homo non est rationalis*, dicũt, cognosci ex parte obiecti, non solùm *hominem*, & *rationale*, sed praeterea negationem identitatis vtriusque, quae cùm dari non possit

inter hæc extrema identificata, sit obiectiuè impossibi is. Hanc sententiam tuentur Suarius in metaph. d. sp. 54. sect. 1. Arriaga disp. 6. met. sect. 1., Conimbric. in præfat. Porphyr. q. 6. Ouiedo controu. 12. met. p. 2. Auersa, Molina, & ferè omnes veteres, cum plerisque Recentiorum. Contra verò multi alij, quos infrà referam, putant, quidquid concipitur ex parte obiecti, esse possibile, & reale; adeoque, per huiusmodi propositiones necessario falsas, nihil attingi ex parte obiecti, quod reale non sit. Et ideo, dicunt, obiectum cuiuscunque propositionis siue affirmatiuæ, siue negatiuæ, siue veræ, siue falsæ, esse ea solū, quæ correspondent extremis, videlicet subiecto, & prædicato, non autem quod correspondet particulæ est, qua solùm dicunt exprimi, modum tendendi ipsarum propositionum formalium, siue affirmatiuum, siue negatiuum, in extrema realia. Quare obiectum adequatum primæ propositionis, aiunt esse *hominē*, & *ferrum*, & secundæ *hominem*, & *rationale*, & per ly *est*, *non est* significari solùm aliquid se tenens, ex parte ipsarum cognitionum. Ex quo inferunt, cùm tàm

homo,

homo, quàm *ferrum*, & *rationale* sint possibilia, & realia, totum horum propositionum obiectum esse possibile, & reale. Verùm quia tota hæc quæstio oritur, magna ex parte, ex eo, quòd perperam intelligatur particula *est*, in propositionibus tàm affirmatiuis, quàm negatiuis; Ideo priusquam ad illam resoluandā propitius accedamus, aliquid cursim dicemus de verbo *est*.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Quid significet Verbum est *in propositionibus tàm affirmatiuis, quàm negatiuis?*

PRima conclusio. *Verbum* est *in propositionibus affirmatiuis, nòn exprimit identitatem obiectiuam, inter extrema propositionis; & perconsequens neque* non est *exprimit negationem identitatis in negatiuis*. Probatur primò, quia propositio vocalis est signum propositionis mentalis. Ergo habet cum illa idem obiectum inuariatum. Sed illa nullam respicit obiectiuam extremorum identitates. Ergo neque hæc. Primum enthyme-

ma est euidens, vt probauimus in logicis, libr. tertio. Minor subsumpta probatur, quia propositio mentalis nihil respicit ex parte obiecti, præter prædicatum, & subiectum. Ideo enim propositio affirmatiua dicitur compositiua, quia tendit in obiectum compositiuè, videlicet vnum componendo cum alio. Sed nihil componitur intentionaliter cũ alio, nisi per modum subiecti, vel prædicati. Ergo quidquid est obiectum propositionis affirmatiuæ, est vel subiectũ, vel prædicatum. Cùm ergo identitas obiectiua neque sit subiectum, neque prædicatum, vt patet in hac propositione *homo est animal*, in qua solus *homo* est subiectum, & solum *animal* est prædicatum, nullo modo est illius obiectum.

Probatur secundò, quia circa idem numero obiectum, possunt tendere diuersi inter sese essentialiter actus; Alioquin nulla dareтur contradictio formalis, eo quòd non idem planè, quod affirmatur, negaretur de eodem, sed vnum affirmaretur, & aliud negaretur. Sed si dicatur, ly *est* exprimere identitatem, hoc non esset verum, quia propositio affirmatiua haberet semper diuersum obie-

obiectum, ab obiecto negatiue, eo quòd identitas, & negatio identitatis, non sint vnum, & idem, ex parte obiecti. Ergo ad saluandam contradictionem formalem, debemus dicere, ly *est* non exprimere obiectiuam identitatem, & ly *non est* negationem identitatis.

Probatur tertiò, quia si ly *non est* exprimeret negationem identitatis, omnis propositio negatiua vel esset formaliter affirmatiua, vel esset falsa. Consequens est absurdum. Ergo & antecedens. Probatur maior, quia si hæc propositio e. g. *Equus non est rationalis*, exprimit negationem identitatis equi cum rationali, vel illam affirmat, vel illam negat? Si primum. Ergo hæc propositio est affirmatiua; adeoque non est contradictoria huic, *equus est rationalis*. Si secundum; ergo est falsa, eo quòd verè detur illa negatio, quam negat, dari; adeoque eius contradictoria est vera, videlicet quòd *equus sit rationalis*, quæ sunt absurda. Ergo ly *est* non significat obiectiuam extremorum identitatem.

Secunda conclusio. *In qualibet propositione affirmatiua, particula* est *significat modum tendendi compositiuum, proprium*

conceptus expressi per talem propositionẽ; *& in propositionibus negatiuis*, *ly* non est *modum tendendi negatiuum*. Probatur primò, quia *ly est*, cum sit copula, seu nexus, aliquid nectit, & ideo est signum alicuius compositionis; non obiectiuæ, vt dictum est. Ergo mentalis. Quod etiã confirmatur ex Aristotele 6. met. t. 8., vbi postquam asseruit, propositionem affirmatiuam esse compositionem, & negatiuam diuisionem, concludit, huiusmodi compositionem, & diuisionem nõ esse in rebus, sed in mente. Vnde apparet Aduersariorum æquiuocatio, nam ea, quæ significant compositionem intentionalem, confunduntur ab illis cum significantibus obiectiuam. Et ideo quia non distinguunt inter hæc duo, ex eo quòd *est* significet compositionem mẽtalem, dicunt significare nexum extremorum ex parte obiecti, vt patebit solutione obiectionum.

Probatur secũdò, quia hoc modo melius saluatur, & explicatur diuersitas propositionum, tendentium circa idem obiectum, videlicet copulatiuæ à disiũctiua; conditionalis ab absoluta, &c. Cũ enim hæ propositiones de secundò ad-

iacente

iacente *Petrus vel amat, vel odio habet*, *Petrus & amat, & odio habet*, habeāt idē obiectum, videlicet amorem, & odium, si resolutæ in propositiones de tertiò adiacente, *Petrus vel est amans, vel odio habens: Est amans, & odio habens*, Si, inquam, ly *est* significaret obiectiuam idētitatem, nulla esset ratio, quare distinguerentur. Posita autem hac nostra doctrina, facilè distinguuntur, penès diuersos modos tendendi, in idem obiectum, scilicet disiunctiuum, & copulatiuum, expressos per ly *vel est, & est*. Ergo vera conclusio.

Dices, diuersitas consisteret formaliter in ly *vel, &*. Nam primum significaret disiunctum obiectiuum, inter identitatem Petri cum amore, & identitatem eiusdem cum odio; secundum autem significaret aggregatum vtriusque identitatis cum eodem Petro. Sed contra est primò, quia est impossibile, dari à parte rei aliquod disiunctum; Quidquid enim existit, determinatè existit. Disiunctum autem est aliquod indeterminatum. Quare ly *vel, &* non significant aliquod obiectiuum, sed modum tendendi compositiuum, nunc determinatum expres-

sum per ly &, & nunc indeterminatum expressum per ly *vel*. Deinde quia ly *vel* est simplex coniunctio (quod idem dico de ly &); atque adeo est terminus sinchathegorematicus, nihil per se significans. Quare aut accipitur seorsim à ly *est*, & nihil significat, aut simul cum illo, & redit argumentum contra disiunctũ. Ergo hæ particulæ aliud significare non possunt, quàm modum tendendi ipsius conceptus.

Probatur secundò, quia ly *est* ideo dicitur copula, quia scilicet conceptus illi correspõdens, copulat vnum extremum cum alio, idest significat talem nexum inter extrema, qui præscindendo à tali propositione, non daretur; Sicut vnio dicitur ab vniendo ea, quę pręscindendo ab vnione, essent diuisa. Sed identitas obiectiua inter extrema, datur etiam præscindendo ab omni propositione mentali. Ergo ly *est* illam non significat, sed solam vnionem intentionalem, quæ habeatur formaliter per ipsam propositionem formalem. Minor est euidens. Maior probatur, quia nemo adhibet nouum nexum, ad ea vnienda, quæ sunt vnita, sed solùm ad ea, quæ sunt diuisa.

Et

Et ideo de ratione cuiuscunque vnionis est extremorum distinctio, vt probauimus in primò libro. Quòd autem ly *est* significet solum nexum intentionalem extremorum, probatur primò ex ipsa definitione, vt vidimus in summulis, vbi passim vocatur copula, & nexus extremorum. Non obiectiuus, quem supponit. Ergo mentalis. Et deinde, quia in ordine ad talem nexum, extrema denominantur termini, quia scilicet, si ille auferatur, remaneant tamquam id, in quod resoluitur propositio. Tum sic. Ly *est* significat nexum extremorum, sine quo, in tali ordine, non essent vnita. Ergo significat nexum aliquem illis accidentalem, & extrinsecum, cuiusmodi non est identitas obiectiua, sed solùm compositio intentionalis.

Probatur quartò argumēto hinc deducto, quia termini, alicuius sunt termini, & dicuntur à terminando aliquid. Ergo præter prædicatum, & subiectum, debet dari aliquid in singulis propositionibus, quod ab illis terminetur, & in quo vniantur illa duo. Hoc autem non potest esse id, quod exprimitur per subiectum, vel per prædicatum, quæ sunt

forma.

Quamuis enim vterque tendat in illud compositiuè; Vnus tamen tendit affirmando, idest componendo, per modum subiecti, & prędicati, quod est proprium solius iudicij, & alius tendit apprehēdēdo, idest per modū duorū disparatorū, simul apprehensorum. Et ideo *equus est homo* est secunda intellectus operatio, & hic alius *equus*, & *homo* est tantùm prima.

Obijcies secūdò. Propositio affirmatiua, per Aristotelem, est vera per hoc, quòd detur eius obiectum. Sed si ly *est* non exprimeret identitatem obiectiuā, cuiuscunque propositionis, quamuis absurdæ, daretur obiectum. Ergo omnis huiusmodi propositio esset vera. Probatur minor, quia si ly *est* non exprimat identitatem, obiectum huius propositionis *equus est homo*, nihil esset, præter *equum*, & *hominem*, qui ambo dantur a parte rei. Ergo ad saluādam falsitatem huius propositionis, dicendum est, illam respicere aliquid aliud, ex parte obiecti, præter equum, & hominem, videlicet identitatem illorum, expressam per ly *est*, quæ quia non datur, ideo est falsa hæc propositio, ex defectu obiecti.

Di-

Distinguo primò maiorem. Est vera per hoc tãtùm, nego: Per hoc, & aliquid aliud, videlicet per conformitatem cum illo, concedo maiorem. Et distinguo minorem, Daretur obiectum illius propositionis, & conformitas cum illo, nego minorem: daretur obiectum, cui non esset conformis propositio, concedo minorem, & nego consequentiam. Sicut enim statuimus in libris perhiermenias, nulla propositio est vera, quæ non conformetur cum suo obiecto. In quo autẽ consistat hæc conformitas, consulatur logica in loco citato. Nobis enim sufficit in præsentia, illam propositionem esse falsam, non ex defectu identitatis obiectiuæ, sed ex defectu talis conformitatis. Vnde elicitur secunda responsio cum tali distinctione maioris; Propositio affirmatiua est vera, quando datur eius obiectum, si sermo, sit de obiectio formali, conceditur; secùs verò, si de materiali. Obiectum autem formale, vel est formaliter conformitas actus cum obiecto, vel illam formaliter inuoluit, vt vidimus in disputatione de obiecto. Aristoteles igitur, nõ in alio sensu dixit, propositionem affirmatiuam esse verã, quando

quando datur eius obiectum, nisi denotando obiectum formale.

Obijcies tertiò. Ad hoc vt intellectus moueatur ad inferendam conclusionẽ, debet cognoscere, verificari hoc principium, *Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadẽ inter se*. Ergo debet cognoscere, extrema conclusionis identificari cum aliquo tertio, per cuius identitatem identificétur inter se. Ergo cognoscit identitatem extremorum cum tertio; Et per consequens cùm aliquando extrema sint incompossibilia, neque possint habere ad inuicem identitatem realem, cognoscit intellectus identitatem impossibilem, quæ cum alio exprimi non possit, exprimitur per ly *est*.

Distinguo antecedens, debet intellectus cognoscere, verificari hoc principium obiectiuè, & materialiter, nego: formaliter, concedo antecedẽs. Eodemque modo distincto primo consequenti, nego secundam, & tertiam consequentiam. Ad hoc enim vt intellectus cognoscat, bene sequi conclusionem, satis est quòd cognoscat, extrema illius connecti formaliter cum medio, in præmissis formalibus, & illas præmissas esse

esse bene dispositas, non autem requiritur, quòd cognoscat vllam connexionem, seu identitatem obiectiuam. Præterquamquod etiamsi concedatur, debere cognosci identitatem extremorum ab intellectu, adhuc tamen nihil probatur, quia posset id fieri per simplicem apprehensionē, adeoque nihil hoc prodesset arguenti, prò expressione identitatis, facta per ly *est*. Probatur assumptum, nam talis simplex apprehensio posset esse distincta realiter à iudicio, & per consequens non exprimi propositione vocali, significante solum iudicium, non autem simplices apprehensiones ad illud vel præuias, vel consequentes, vel etiam concomitantes. Quare ex isto capite, possent etiam concedi primæ duæ consequentiæ, & negari postrema, quamuis nos illas negauerimus ex alijs capitibus, & propter alias rationes.

Obijcies quartò. Vel actus affirmatiuus attingit ex parte obiecti idētitatē extremorum, vel non? Si primum; ergo ly *est* exprimit identitatem obiectiuam. Si secundum. Ergo intellectus temerè affirmat. Posito enim quòd, ex parte

obiecti,

obiecti, non cognoscat nisi extrema, cur potiùs illa componit, quàm diuidit?

Respondeo, actum affirmatiuum attingere conuenientiam, & identitatem obiectiuam materialiter, nō autem formaliter, idest attingere, seu cognoscere id, quod est identitas ex parte obiecti, non tamen illam cognoscere vt identitatem formaliter, sub cōceptu proprio, sed abstractiuè. Eo planè modo, quo cognitio animalis vt sic, terminatur materialiter ad totum id, quod est Petrus, ex parte obiecti, nō tamen illud cognoscit, vt Petrus est formaliter. Ex hoc autem non sequitur, temerè ab intellectu vnum componi cum alio. Hæc enim temeritas procul abigitur, ex presentia motiui sufficientis ad iudicandum, quod aliud non est, quàm simplices extremorum apprehensiones, vt vidimus in logica.

Dices, simplices extremorum apprehensiones de se non sunt connexę magis cum actu affirmatiuo, quàm cum negatiuo, sed sunt indifferētes ad vtrumque. Ergo non determinant magis ad vnum, quàm ad alium.

Ad hoc argumētum, quod aliqui maximi faciunt, respondeo, illud verificari

de

de apprehensionibus in genere, non autem de talibus apprehensionibus in specie. Sicut enim, etiam admissa sententia opposita, non omnis apprehensio identitatis talium extremorum, moueret intellectum ad actum affirmatiuum, sed solùm talis apprehensio in specie. Nam possum ego obscurè cognoscere identitatem stellarum cum numero pari, & tamen dicere *stellæ non sunt numerus par.* Ita etiam possum dicere, non omnem extremorum apprehensionem sufficere, ad hoc vt determinetur intellectus, ad actum affirmatiuum, sed solùm talẽ apprehensionem in specie.

Quòd si vrgeas, ly *talis* quid dicit supra simplices apprehensiones? Vel aliquid quod se teneat ex parte obiecti, & erit identitas obiectiua, quæ negatur; Vel aliquid quod se teneat ex parte ipsarum apprehensionum, & redit argumentum; nõ enim potest explicari quid sit. Ergo dicendum est, simplices apprehensiones non determinare sufficienter intellectum ad actum affirmatiuum. Respondeo ly *talis* dicere supra simplices apprehensiones in genere aliquid cum illis identificatum, quod habeat rationẽ

earum

earum vltimæ differentiæ, per cuius cõpositionem, saltem metaphysicam, cũ genere, constituantur in esse sub tali specie. Sicut rationalitas dicit, supra rationem animalis in genere, vltimam hominis differentiam, per cuius compositionem cum animali, constituatur formaliter species humana. Ratio autẽ huius rei est, quia cùm simplices apprehensiones, determinantes ad actum affirmatiuum, differant specie, à simplicibus apprehensionibus, determinantibus ad actum negatiuum eiusdem de eodem, debent sub eodem genere proximo, apprehensionis vt sic, dicere peculiarem differentiam, distinctiuam vnius speciei ab alia, per quam habeant diuersas definitiones essentiales, vt diximus in logicis, cum ageremus de Specie in libro 2. disp. 2. ar. 8.

Instabis demùm, & difficiliùs, Talis apprehensio subiecti, vel petit connecti cum tali appregensione prædicati, cum qua determinet ad actum affirmatiuũ, vel non? Si primum; ergo sunt correlatiuæ huiusmodi apprehensiones, adeo que exprimunt aliquid ex parte obiecti, vtrisque commune, in quo fundetur

hæc

hæc relatio, quod est identitas. Si secundum, ergo vna posset connecti cum alia, & mouere ad actum, non solùm disparatum, sed contrarium. Hoc secundum est absurdum. Ergo est verum primum, adeoque ratio motiua, est apprehensio identitatis obiectiuæ.

Respondeo, neutram ex his apprehensionibus, petere connexionem cum alia. Nego tamen, exinde sequi, posita accidentali connexione vnius cum alia disparata apprehensione, posse alterutram formaliter sumptam, mouere ad actum, vel disparatum, vel contrarium. Ratio est, quia simplex apprehẽsio subiecti e. g., quamuis non petat connecti cum alia, videlicet cum apprehensione prædicati, non tamen mouet, nisi connectatur cum illa. Eo planè modo, quo album A. quamuis non petat connecti cum albo B, non tamen fundat relationem similitudinis cum albo B, nisi cum illo connectatur. Sicut ergo album A. cũ albo C., non fundaret eamdem relationem similitudinis, sed aliam, propter solam variationem extrinsecam termini; Ita & vna apprehensio, haberet aliam vim mouendi intellectum, per solam va-

riationem termini extrinseci, cum quo diuersimodè conn&ecteretur. Quare hæc apprehensio, vt formaliter mouens in actu secundo, dicit connexionem cum hac alia apprehensione vt hac, adeoque fieri non potest, vt moueat ad actum cōtrarium, uel disparatum; sicut album A., ut formaliter fundamentum relationis ad B., nō potest fundare relationem contrariam, uel disparatam. An autem hæc simplex apprehensio materialiter sumpta, prout formaliter præcisa ab omni motione in actu secūdo, possit cō. necti cum alia, & mouere in actu primo ad actum contrarium, seu disparatum, est alia quæstio impertinens ad hunc locum. Siue enim concedatur, siue negetur, numquam tamen aliquid traditur ad intentum arguentis.

ARTICVLVS TERTIVS

An possit cognosci aliquid, quod habeat tantùm esse obiectiuè in intellectu?

EX jis, quæ diximus usque adhuc, facillimū erit deducere id, quod ab

initio nobis proposuimus, tamquam ultimum, & unicum finē huius tractatus. Vt autem claritate, qua incępimus, procedamus, ea omnia, quæ aliqualem facessere poterunt difficultatem, oppositis conclusionibus diluemus. Sit igitur.

Prima conclusio. *Omnis vnio, inter quęlibet extrema positiua, est possibilis, & realis*. Probatur euidenter, quia nulla extrema positiua creata, magis differunt inter sese, quàm *Deus*, & *creatura*, inter quos datur infinita distantia. Sed inter Deū, & creaturam, non solùm est possibilis, sed datur de facto unio, etiā substantialis, quia uerè in composito Christi Domini, unitur hypostaticè, idest substantialiter, natura humana cū Verbo diuino. Ergo à fortiori, potest dari inter quælibet alia positiua. Probatur consequentia, quia ea, quæ minùs differunt inter sese, minus distant, & habent maiorem conuenientiam. Ergo faciliùs uniuntur. Vnde patet, quàm ineptè philosophentur ij omnes, qui ut probent, dari ens rationis obiectiuum, dicūt posse cognosci hircoceruum, centaurum, & alia huiusmodi, intelligendo nomine hircocerui, & centauri, unionem aliquā sub-

substantialem impossibilẽ hirci cum cervo,& equi cum homine. Hoc enim, siquid probat, probat, Christum Dominum esse impossibilem, vt potequi constituitur essentialiter, per vnionem substantialem, naturę humanæ cum Verbo diuino, quod est erroneum.

Neque obstat, quòd hæc extrema dicantur incompossibilia. Hoc enim verificatur solùm in ordine ad identitatem, non autem in ordine ad unionem. Sicut ergò potest verè dici, *homo est Deus*, per communicationem idiomatum, vt loquuntur Theologi,& probat D. Tho: in 3.p.disp.16.ar.2 resul. autem ex vnione intrinseca substantiali, naturæ humanæ cum Diuina; Ita poterit quoque dici, *homo est canis*, cùm minus homo differat à cane, quàm à Deo, per vnionem substantialẽ naturæ humanæ cũ canina.

Dices, ergo poterit dari vnio inter Deum,& canem, seu lapidem, adeoque poterit verè de illo dici, *Deus est canis*: *Deus est lapis*. Consequens est absurdum, Ergo non est possibilis vnio, inter quælibet extrema positiua. Distinguo primũ consequens. Poterit dari hæc vnio physicè loquendo, concedo: moraliter, neg.

Q con-

consequentiam. Nisi enim hoc diceret moralem implicantiam ex parte dedecentiæ, cùm videatur dedecere diuinam maiestatem, vniri cū bruto, vt multi ex theologis opinātur, & probat D.Tho.3. p.q.4.ar.1.in corp., vtique ratione præcise physicæ vnionis, hoc nullatenus repugnaret. Et ratio à priori est, quia perfectio rationalitatis, qua homo superat canē e.g. est instar nihili, respectu infiniti perfectionis excessus, quo Deus superat ipsum hominem, eò quòd omne finitū, respectu infiniti, sit quasi nihil. Ergo si potuit Deus vniri cum homine, poterit etiam vniri cum cane, qui ferè à Deo tātumdē, distat, videlicet infinitè. Inìmo, si velimus loqui in rigore physico, æqualiter distant, posito quòd vnum infinitū non sit maius alio, vt probabimus in tertio physicorum.

Secunda conclusio. *Nulla vnio, quæ cognoscitur, est inter extrema contradictoriè incompossibilia.* Probatur, quia omnis vnio dicit essentialiter duo inter sese distincta, quæ sint simul in eo ordine, in quo vniuntur. Nam cum nemo sibi vniatur, ad hoc vt detur vnio, debet dari id, quod vnitur, & aliud, cum quo vnitur.

Sed

Sed extrema contradictoria non sunt huiusmodi, quia vnum destruit aliud, & numquam possunt simul esse. Ergo non possunt vniri. Et per consequens nulla vnio est vnio cõtradictoriorum. Ex quo sequitur, omnem vnionem conceptibilem esse possibilem.

Dices. Ideo hæc vnio est impossibilis, quia ex vna parte, eius extrema nõ possunt esse simul, & ex alia, concipiuntur vt vnita, atque adeo vt simul existẽtia. Ergo hæc ratio nihil valet.

Nego antecedens. Ratio est, quia cùm intellectus noster sit determinatus essẽtialiter ad veritatem, non potest assentiri falso vt falso. Sed vnio duorum cõtradictoriorum, est aliquid essentialiter falsum, quia dici simultaneam vtriusque coexistentiam, quæ dari non potest. Ergo non potest intellectus illi assentiri, vt formaliter tali. Hoc posito, quando dicuntur concipi contradictoria vt vnita, vel est sermo de cognitione affirmatiua talis vnionis, vel tantùm de simplici apprehensione? Primum dici non potest, quia alioquin intellectus assensum præstaret falso vt falso, eo quòd affirmaret coexistentiam duorum, quæ se mutuò

destruunt. Sed neque potest dici secundum, quia ad hoc vt intellectus cognoscat aliquod, debet illud cognoscere secundùm ea, quæ sunt illi essentialia. Atq; adeo cùm sit essentiale vnioni, dicere simultaneam existentiam extremorum, non potest intellectus vnionem concipere, quin concipiat existentiam simultaneam, seu coexistentiam extremorum; Alioquin conciperet vnionem sine vnione, quod est ridiculum. Sed existentiam simultaneam contradictoriorum, concipere non potest, quia cõcipiendo existentiam vnius, necessariò concipit non existentiam alterius. Ergo neque potest concipere eorum vnionem. Et per consequens nulla vnio, quæ cognoscitur, est vnio contradictoriorum, sed aliorum, quæ sibi inuicem contradictoriè non aduersentur.

Vrgebis, Possunt contradictoria esse simul successiuè. Ergo possũt vniri, sicut vniuntur partes horæ, adeoque eorum vnio est conceptibilis. Respõdeo primò, contradictoria, respectu diuersorum temporum, non esse contradictoria, eo quòd non se inuicem destruant, nisi in ordine ad idem tempus. Quare si consi-

deremus,

deremus contradictoria, in diuersis temporibus, libenter concedo totum argumentum; & dico, eorum vnionem successiuam, non solum esse cōceptibilem, sed possibilem suo modo. Nam quando ex ligno fit ignis, priuatio formæ ignis dicitur vniri successiuè, cum ipsa forma ignis. Hæc tamen vnio nihil probat cōtrà nos, negantes solùm, posse concipi illam vnionem, quæ verè si daretur, esset formaliter inter contradictoria rigorosè sūpta, cuiusmodi solū esset vnio permanens, saltem moraliter, non autē successiua. Deinde hęc vnio verè, & propriè non est vnio, sed potiùs successio quædam, seu ordo temporis, in quo fundatur formaliter prioritas, & posterioritas, vt videbimus in primo physic. Tertiò quia, quamuis concederetur, partes horæ verè, & propriè ad inuicem vniri, nihil tamen probaretur prò contradictorijs, contra quæ esset euidens disparitas. Siquidem partes horæ, & cuiuscūque alterius entis essentialiter successiui, verè sunt plures entitates positiuæ una post aliam, adeoque possunt admittere communem aliquam entitatē successiuam superadditam, quam non pos-

sunt contradictoria, quæ uerè non sunt duæ, seu plures entitates, sed una tantũ, eò quòd se mutuò destruant, & unum sit negatio alterius. In uno autem non potest saluari formaliter unio, ut nuper uidimus. Quare à primo ad ultimum, & hæc unio non esset uerè unio, & etiamsi concedatur esse, illa est formaliter possibilis; adeoque uel non est inter extrema contradictoriè incompossibilia, uel non impugnat nostram conclusionem.

Tertia conclusio. *Nulla identitas, quæ concipitur, est identitas extremorum positiuorum incompossibilium.* Probatur, quia omnis identitas, quæ cognoscitur, uel est aliquid præter ipsa extrema, e. g. præter *hominem*, & *equum*, uel non? Si secundum. Ergo est identitas possibilis; atque adeo non est identitas extremorũ incompossibilium, quia de facto dantur *homo*, & *equus*, & tamen non sunt intrinsecè identificati. Si primum. Ergo non esset identitas intrinseca, quę non potest esse aliquid superadditum, ut supra uidimus in prima parte; sed solùm esset identitas extrinseca, ea scilicèt, quæ habetur per nostrum modum concipiẽdi, & per consequens esset identitas possibilis,

bilis, & realis, quia uere *homo*, & *equus* identificantur extrinsecè, in ratione animalis, & sub ista ratione non sunt extrema incompossibilia. Ex quo sequitur, omnem identitatem cognoscibilem, esse possibilem. Probatur consequentia; Quia si aliqua cognosceretur impossibilis, maximè esset identitas extremorũ incompossibilium, quæ uidelicet identificari non possunt. Sed nulla idétitas cognoscibilis est huiusmodi extremorum, ut nuper probatum est. Ergo omnis idẽtitas cognoscibilis, est extremorum cõpossibilium, immo identificabilium; adeoque possibilis, & realis.

Quarta conclusio. *Nullum obiectum simplex, & indiuisibile est impossibile*. Probatur, quia impossibile, ut tale formaliter, dicit necessariò partes contradictorias, se mutuo destruentes; debet enim includere *est*, *non est*. Ergo omne impossibile, ut tale formaliter, dicit necessariò partium dualitatem, ex quarũ una sequatur una pars contradictionis, & ex alia sequatur altera. Ergo non est simplex. Ergo è conuerso, nullum simplex est impossibile, utpote quòd partes contradictorias non includat, in quo

consistit formaliter impossibilitas obiectiua in sententia illam admittente.

Quòd si dicas, impossibile non includere de facto, & formaliter duó contradictoria, sed solum radicaliter, eò quod illa solũ trahat, adeoque esse quid simplex; Respõdebo cum Pallauicino, libro 5. de Incarnatione, numero nono, hoc ipsum formaliter esse duo contradictoria, quod sic probo. Hoc impossibile, radicaliter consisteret formaliter, in necessitate aliqua ad 2. contradictoria. Sed necessitas ad 2. contradictoria, includit de facto 2. contradictoria, eo quòd includat necessitatem ad Petrum e. g., & potentiam ad negationem Petri, quę est contradictorium ipsius necessitatis ad Petrum. Ergo hoc impossibile includeret de facto formaliter duo cõtradictoria. Ad probandam minorem, utor eius uerbis, quæ sunt clarissima. *Potentia ad oppositum Petri, est potentia ad negationem Petri. Sed necessitas ad negationem Petri, est potentia ad negationem Petri. Ergo est potentia ad oppositum Petri. Atque adeo si daretur necessitas ad Petrum, & ad negationem Petri, daretur necessitas ad Petrũ, & potentia ad oppositum Petri, quæ sunt formalia*

formalia contradictoria. Quòd autem necessitas ad Petrum, & potentia ad negationem Petri, sint formaliter contradictoria, probatur, quia necessitas ad Petrum, est determinatio ad illũ, adeoque est formaliter impotentia ad eius negationem. Illud enim, quod potest utrumque ex contradictorijs, nõ habet ad illa necessitatẽ, ut patet. Sed impotentia ad negationem Petri, est idem, atque negatio potentiæ ad negationem Petri. Ergo cùm hæc sit contradictoria potentiæ ad Petrum, erit etiam cõtradictoria ipsius necessitatis ad Petrum, quod erat probandum.

Quinta conclusio. *Omnis priuatio, seu negatio est contingens, adeoque possibilis, & realis.* Probatur quoad primam partem, quia de ratione priuationis est, quòd sit carentia formæ, in subiecto apto ad talem formam. Ergo omnis priuatio dicit aptitudinem, seu possibilitatẽ ad formã oppositã, per cuius aduentũ potest excludi. Sed illud quod potest excludi ab existẽtia, est contingens, quia potest nõ esse. Ergo omnis priuatio est contingẽs. Sed omne contingens est possibile, quia continetur intra potẽtiam alicuius cau-

ſæ, vnde denominatur contingens, quia poteſt ab illa poni, vel nō poni. Ergo omnis priuatio eſt poſſibilis, & realis. Et hęc eſt ratio, quare in Deo nō detur priuatio peccati, quamuis nullū detur peccatum, quia ſi Deus haberet huiuſmodi priuationē, poſſet peccare, eò quòd haberet cū illa potētiā ad oppoſitū, videlicet ad peccatum, per cuius aduentū illa recederet, quod eſt falsū, & impiū. Quidquid incontrarium aſſeruerit, vt in Deo mordicùs contrà nos propugnaret peccati priuationem, audaculus neſcio quis *crine ruber, canis ore, fide niger, et nomine cādēs*. Probatur quoad ſecundam partē, in qua eſt maior difficultas; quia omnis negatio opponitur contradictoriè alicui poſitiuo contingenti. Sed omne poſitiuum cōtingens poteſt eſſe. Ergo omnis negatio poteſt non eſſe. Minorē nuper probaui. Conſequentia eſt euidens, quia exiſtentia contradictorij poſitiui, eſt formalis non exiſtētia negatiui. Probatur ergo maior; in qua ſola eſt difficultas, quia omnis negatio, eſt non exiſtentia ſui oppoſiti. Ergo illius non eſt poſſibilis negatio, cuius non eſt poſſibilis non exiſtentia. Sed non eſt poſſibilis

non.

non existentia obiecti necessarij. Ergo neque illius est possibilis negatio. Sed neque est conceptibilis. Probo, quia omnis negatio, cùm sit non ens, & nullas habeat proprias species, cognoscitur abstractiuè, & indirectè, per species illius positiui, cui opponitur, quod positiuum cognoscatur per modum fugæ, seu recedentis, seu potentis recedere. Sed necessarium, cùm inuoluat in conceptu formali existentiam, non potest concipi per modum fugæ, seu recedentis. Ergo per species ipsius, non potest concipi vlla negatio. Ergo cùm neque cognoscatur per species proprias, nulla negatio, quæ cognoscitur, est negatio obiecti necessarij, sed solius contingentis. Et per consequens, omnis negatio est contingens, & possibilis.

Ex quo patet primò, nō posse cognosci, ex parte obiecti, negationem Dei. Quia cum omnis negatio sit formaliter non existentia sui oppositi, hæc negatio conciperetur vt nō existentia Dei; adeoque cùm Deus dicat formaliter existentiam necessariam, in conceptu formali talis negationis, conciperetur non existentia existentis, & per consequens cō-

ciperetur negatio sine negatione, videlicet non existentia, absque non existentia, quod implicat in terminis. Hoc tamen argumentũ, quia censetur insolubile ab Aduersario; Ideo fusiùs prosequar, sub finem articuli sexti, vbi funditùs extirpabo difficultatem.

Patet secundò, neque dari, neque posse concipi negationem chimæræ, seu obiecti impossibilis. Ratio est, quia cùm omne impossibile, vt supra vidimus, in sententia illud admittente, sit *ens, nō ens*, includit formaliter vtrumque contradictorium. Ergo cùm non detur tertium contradictorium, oppositum duobus, neque datur negatio chimæræ.

Dices, datur nunc negatio alterius Dei. Sed alter Deus est chimæra, quia neque est, neque potest dari. Ergo datur negatio chimæræ. Nego antecedens. Quòd enim non detur, neque sit possibilis alius Deus, verificatur per solam existentiam huius Dei, qui nunc est, non autem per aliquam negationem, vt probauimus in secundo lib. disp. 2. ar. 1.

Vrgebis, hæ propositiones, *datur alius Deus*, & *non datur alius Deus*, seu *datur negatio alterius Dei*, quod est idem, sunt formali-

formaliter contradictoriæ, ergo earum alterutra debet uerificari; & per consequens cũ non uerificetur, dari aliũ Deũ, debet uerificari, dari eius negationem. Nego antecedeus. Dico enim, has propositiones non esse formaliter contradictorias, eo quòd nõ se mutuò destruãt adæquatè, quod est necessarium ad contradictionem. Hoc autem, quia uidetur nouum, & difficile, sic euidentur probo. Sed prius duo præmitto ex summulis. Primum est, ad ueram oppositionem contradictoriam requiri (vt probauimus in organo philosophico lib. 2. art. 9.) quòd ambæ propositiones opponantur ad inuicem adæquatè, idest secundùm omnes, & singulas earum partes. Quare hæ duæ propositiones *hic liber Petri est albus: hic liber Petri non est albus*, quamuis rudibus videantur contradictoriæ, tamen re ipsa, non censentur tales à veris logicis, quia non opponuntur adequatè. Ratio autem huius rei est in promptu, quia propositiones cõtradictoriæ debent se mutuò omninò destruere. Sed hoc non esset, nisi opponerẽtur ad inuicem adæquatè, alioquin possent secundùm aliquam partem, se-

cundùm quam non oppununtur, simul associari. Ergo nullam debent partem admittere, secundùm quam oppositionem non habeant. Ex hac totali vtriusq; oppositione sequitur, quòd vnius veritas sit simpliciter falsitas alterius, & viceuersa. Et ideò neque possũt simul esse veræ quoad vllam partem, neque simul esse falsæ. Illæ ergo propositiones, quæ possunt esse vel simul veræ, vel simul falsæ, quoad aliquam partem, non sunt cõtradictoriæ. Sed hæ possunt esse simul falsæ quoad aliquam partem. Ergo non sunt cõtradictoriæ. Maior patet ex summulis, vt nos probauimus in Organo, lib.2.ar.3. Consequentia est euidens. Minor probatur, quia vtraque hæc propositio est implicitè, & virtualiter copulatiua; Nam prima æquiualet huic, *hic liber, & est Petri, & est albus:* & secunda æquiualet huic, *hic liber, & est Petri, & non est albus*. Quare vtraque habet duas partes, in quarum prima affirmatur de libro, quòd sit Petri, & in alia affirmatur à prima, & negatur à secũda, quòd liber sit albus. Tota ergo harum propositionum oppositio, est penès secundã partẽ, nam in prima omninò conueniunt. Si

ergo

ergo supponamus, librum non esse Petri, sed Pauli, vtraq; falsum dicet, quoad primam partem. Atque adeo cùm ad falsitatem propositionis copulatiuæ, sufficiat falsitas vnius partis, vt probauimus in Organo lib. 2. ar. 9., vtraque propositio erit simpliciter falsa.

Alterum, quod præmitto, est, has propositiones *datur alius Deus, non datur alius Deus*, esse propositiones exponibiles; & ideo cùm omnis propositio exponibilis, præter disiunctiuam, æquiualeat copulatiuæ, vt probauimus in loco citato, vtraque hæc propositio est implicitè, & virtualiter copulatiua. Nam prima facit hunc sensum, *datur Deus, & ille est distinctus ab hoc Deo*: Et secunda facit hunc sensum, *non datur Deus, & ille est distinctus ab hoc Deo*. Quare ly *alius*, quia cōtinet alietatem, & omnis alietas est distinctio, semper continet propositionem affirmantem distinctionem Dei à Deo.

His positis, quæ bene memoria tenēda sunt, nā sæpe inferiùs vsuuenièt, euidéter probo, has 2. propositiones *datur alius Deus, non datur alius Deus*, non esse contradictorias. Vtraque propositio est falsa.

falsa. Ergo non sunt contradictoriæ. Cõsequentia tenet ex dictis. Antecedens probatur, quia vtraque affirmat distinctionem Dei à Deo; Sed est impossibile, non solùm dari, sed concipi distinctionẽ Dei à Deo, alioquin conciperetur Deus sine Deo, quod est ridiculum. Ergo vtraque continet eamdem affirmationem falsam, & per consequens vtraque est simpliciter falsa, iuxtà leges copulatiuę.

Dices primò, ergo quoties cõiungo ly *alius* cum Deo, semper facio propositionem falsam; & per consequens erit falsa etiam hæc, *non datur alius Deus*. Sed hoc est absurdum. Ergo &c. Concedo sequelam maioris. Hoc autem non esse absurdum, patet, quia hæc propositio *non datur alius Deus* est falsa, non quia detur *alius Deus*, vt aliqui rudes in metaphysicis, ridiculè intulerunt, sed quia sit propositio se ipsam destruens. Nam ex vna parte negat, dari Deum, & ex alia affirmat, illum esse Deum, distinctũ ab hoc Deo. Cùm enim Deus sit essentialiter vnicus, vt probauimus li. 2. disp. 2. ar. 1., eo ipsò quòd aliquid cõcipiatur vt Deus, vel erit hic Deus essentialiter, vel illud non erit formaliter Deus. Idem

igitur

igitur est, affirmare, dari Deum distinctum ab hoc Deo, atque affirmare, dari hunc Deum, & non dari; quod est formaliter idē simul affirmare, & negare.

Dices secundò, hæc propositio est vera obiectiuè. Ergo non est formaliter falsa. Nego consequentiam. Nam veritas obiectiua, impertinenter se habet ad veritatem formalem, vt infrà probabimus.

Dices tertiò. Per hoc quòd concipiā alium hominem à Petro, non sequitur, Petrum à se ipso distingui, vel concipi sine Petro; ergo neque sequitur, Deum à seipso distingui, per hoc, quòd concipiatur alius Deus. Nego consequentiā. Disparitas est manifesta; Quia *homo* est terminus communis, plura significans, adeoque bene potest sub illo assignari aliquid ab alio distinctum. Hoc autem non ualet de Deo, qui est terminus singularis. Quidquid enim dicitur de termino singulari, uel est ipsum singulare formaliter, uel aliquid ab illo distinctū, idest id, quod ipsum non est. Non enim potest dari aliquid, quòd simul sit singulare A., & distinctum ab ipso A., sicut contingeret, si daretur Deus ab hoc distinctus,

ſtinctus, quia hic ex una parte eſſet Deus, adeoque *hic Deus*, & ex alia eſſet diſtinctus ab hoc, adeoque *non hic Deus*, quod implicat. De hac tamen difficultate, multò plura inferiùs addam.

Dices demùm, Lapis habet negationem uiſionis, & Petrus negationem identitatis cum Paulo. Vtraque autem, cùm ſit neceſſaria, opponitur alicui impoſſibili, ſeu chimæræ. Ergo datur, ſeu poteſt concipi negatio chimæræ.

Diſtinguo maiorem. Lapis habet formaliter negationē uiſionis, nego, habet denominatiuè, cōcedo maiorē, quod idē dico de negatione identitatis inter Petrū, & Paulū. Et diſtincta eodē modo minori, quoad primam partē, ſcilicet has negationes dari, & eſſe ſolùm denominatiuè neceſſarias, & non formaliter, nego conſequentiam, cum ſecunda minoris parte. Dico igitur, dari denominatiuè negationem uiſionis in lapide, nihil eſſe aliud formaliter, niſi quòd lapis denominetur, non habens uiſionem. Hæc autem denominatio, non deſumitur ab aliqua forma negatiua, exiſtente in ipſo lapide, ſed ab eius entitate poſitiua, eſſentialiter uiſionem excludente, adeo,

que

quę merente actum negatiuum, quo negetur de illa uita. Quod idem dico de entitate Petri, essentialiter excludente entitatem Pauli, adeoque merente actũ negatiuum, quo negetur de illo entitas Pauli. Sicut enim, cum dicitur, *Deus non habet corpus*, nolumus dicere, quòd ipse Deus habeat in se aliquam negationem obiectiuam, quod esset falsum, posito quòd Deus nullam habeat potentialitatem, sed quòd per suam essentiam, uerificet propositionem negantem de illo corpus. Videantur quæ diximus in logicis lib. 2. disp. 1. ar. 5. ubi probauimus unitatem uniuersalis nõ esse aliquid negatiuum, ex parte obiecti, sed solum extrinsecè, & formaliter, quæ poterunt prodesse ad rem præsentem. Quare tota difficultas huius argumenti, aliorumque similium, consistit in æquiuocatione, quam inducit inter negationem formalem, & obiectiuã. Ex eo enim quòd aliquid mereatur negationem formalem, seu actum negatiuum, infert, illi quoque inesse negationem obiectiuã, tali actui negatiuo correspondentem, tanquam eius verificatiuum. Hoc autem euidẽter colligitur ex hoc, quòd cũ negatio obie-

ctiua

ctiua non sit in subiecto, sicut priuatio, neque potest de subiecto dici, ut forma illi inhærens. Debent ergo huiusmodi propositiones negatiuæ, per aliquid aliud uerificari, quod certè non est, nisi entitas positiua subiecti, essentialiter à se excludens entitatem positiuam prædicati. Verùm de hoc fusiùs alibi.

ARTICVLVS QVARTVS

Resoluitur status quæstionis, & multiplici argumento probatur, non dari ens rationis metaphysicum obiectiuè, ubi statuitur, omne obiectum esse possibile, & reale.

ALiquis Recentior, ut primum per me audiuit, *quidquid cognoscitur est possibile*, ac si renouatam ex inferis Arrij pestem, auribus excæpisset, illicò tamquam hæreticam doctrinam exhibilauit; Non enim percipere poterat, quomodò aliqua propositio in se formaliter falsa, immo inuerificabilis, possit simul [illegible] obiectiuè uera ueritate transcendentali, per hoc quòd respiciat obiectum uerum. Quare ut doctrinam esse hære-

hæreticam, obstinata cordis pertinacia, tueretur, primùm illam nullius dixit esse magni nominis authoris; deinde esse contrariam unanimi Doctorum omniũ sensui, & fidei articulis; & demùm ipsi rationi, & naturali philosophiæ. Nos ergo ut doctrinam hanc, ab iniustè illata sibi calumnia uindicemus, illam prius hic rationibus philosophicis, armabimus; deinde in alia disp. multiplici auctoritatum presidio confirmabimus; & tandem occurremus obiectis, & præcipuè in examẽ uocabimus philosophicè, & theologicè propositionem, illam aliud *Verbum diuinum est incarnatum*, ut ex illa liceat coniectare, quid sit dicẽdum de omnibus alijs.

Conclusio. *Omne obiectum, siue intellectus, siue voluntatis, siue cuiuscunque alterius potentiæ, est possibile, & reale; adeoque non datur ens rationis metaphysicum, nisi reducatur ad sensum formalem.* Secundam partem probabimus infra, cùm statuemus, posse fieri ens rationis formaliter, per indebitum modum tendendi. Prima pars non habet difficultatem, nisi in ordine ad obiectum intellectus; Nam cæteræ potentiæ, uel sunt materiales, & hæ

non

non attingunt, nisi præsentia, quæ sunt realia;uel sunt spirituales, ut memoria, & uoluntas,& harum prima, uel est formaliter ipse intellectus, uel cognoscit obiecta,ut fuerunt ab illo cognita, & secūda manuducitur ab intellectu, ita ut nihil planè cognoscat, quod prius ab illo non fuerit cognitū. Quare totū illud, quod potest esse obiectum intellectus, potest etiā esse obiectum volūtatis. Probatur ergo, omne obiectum intellectus esse possibile,& reale, Primò ex dictis in alio art.Quidquid enim cognoscitur,uel est aliquod positiuum, uel negatiuū? Si primum,uel est simplex,uel compositū? Si est aliquod positiuum simplex, illud est possibile, ut probauimus in quarta conclusione. Si est compositum, uel est unio,& est possibilis, ut probauimus in prima; uel identitas, & est possibilis, ut patet ex tertia conclusione. Si uerò est aliquod negatiuum, illud est possibile, siue sit priuatiuum,siue negatiuum, ut patet in quinta. Ergo remanet euidenter probatum,omne obiectum intellectus esse possibile,& reale.

Probatur secundò,quia cognoscibilitas sequitur ad rationem entis, nihil

enim

enim cognosci potest, quod non sit uerum, idest quod non habeat ueritatem transcendentalem, quæ est proprietas entis. Sed illud, quod habet proprietatẽ entis, est ens. Ergo quidquid cognoscitur est ens. Sed omne ens dicitur ab existentia reali, quam habet uel actu, uel potentia, ut dictum est in 2. libro, disp. 1. ar. 2. Ergo omne obiectum uel actu existit, uel potest existere; adeoque est possibile, & reale. Confirmatur, quia sicut bonitas est obiectum formale uoluntatis, ita ueritas est obiectum formale intellectus; adeoque obiectum adæquatũ intellectus est ens ut sic, sicut obiectum adæquatum uolūtatis est bonum ut sic. Sed est impossibile, quòd intellectus extendatur extra obiectum adæquatum. Ergo est impossibile, quod cognoscat aliquid, quod non sit ens.

Dices, hoc est uerum, si sermo sit de cognitionibus ueris, nō autem si sermo sit etiam de falsis. Quare poterit per aliquam cognitionem falsam cognosci aliquid impossibile. Sed contra est primò, quia cognitiones falsæ sunt etiam actus intellectus, adeoque debent sequi naturam sui principij. Ergo cùm illud sit de-

ter-

vbicunque illius vestigium apparere nõ potest, neque poterit inueniri ratio obiecti materialis. Retorqueo igitur paritatem de voluntate. Hæc non potest ferri in aliquid, quod sit purè malum, seu quod nullam habeat rationem boni. Ergo neque intellectus poterit ferri in ali quid, quod nullum habeat vestigium veritatis. Sed nulla veritas potest inueniri extra ens, à quo adæquatè circumscribitur. Ergo nulla ratio cognoscibilis poterit extrà ens inueniri. Probo minorẽ, quia omnis veritas vel est formalis, & hæc non inuenitur extra cognitionem, quæ est ens intentionale; vel est transcẽdentalis, & est proprietas, seu passio entis realis. Passio autem nõ inuenitur extra id, cuius est passio. Ergo à primo ad vltimum, sicut omne ens est verum, ita omne verum est ens, eo quòd dicantur ad conuertentiam, vt diximus in libris Perhiermenias.

Probatur tertiò, quia si cognosceretur aliquod obiectiuè impossibile, de facto daretur aliquid aliud impossibile, eo quòd de illo verificarentur de facto duæ propositiones cõtradictoriæ. Sed absurdũ est, dari id, quod dari nõ potest. Ergo

absurdũ est, cognosci aliquid obiectiuè impossibile. Probatur maior. Nam si cognosceretur e.g. A. includēs ipsum A., eiusque negationem, idest *non A.*, verificaretur nunc, quòd si A. existeret, daretur A., & non daretur A., quæ sunt contradictoria. Cùm igitur contradictoria se mutuò destruant, vtraque propositio esset simul falsa, & vera, eo quòd vtriusque obiectum daretur, & non daretur, quod in logicis probauimus repugnare. Ergo nunc daretur verificatiuum vtriusque, quod aliud esse non potest, quã impossibile, & chimæricum, videlicet obiectum A. & ipsius negatio.

Neque obstat, quòd hæ propositiones sint conditionales, & conditio nihil ponat in esse; adeoque non videatur mirum, si ex aliqua hypothesi impossibili, sequatur vtraque contradictionis pars. Hoc, inquam, non obstat, quia ex earum veritate, sequeretur etiam ueritas aliarum, contradictoriarum absolutarum, quę necessariò inferrent absolutè loquẽdo, existentiam actualẽ chimæræ, quod sic probo. Ex illa hypothesi, utraque illa propositio conditionalis cõtradictoria, esset simul uera, & falsa, ut uidimus. Ergo

go de utraque, posset nunc uerè absolutè negari veritas, & affirmari. Ergo de utraque uerificarentur hæ duæ; *est vera*; *non est vera*, quæ sunt contradictoriæ, & absolutæ.

Confirmatur, quia sicut se habet Petrus realis ad eius negationem realem; Ita & Petrus obiectiuus, ad eius negationem obiectiuā. Sed ille excludit formaliter eius negationem realem. Ergo & hic obiectiuam. Cùm ergo in chimera inuoluatur formaliter *Petrus, non Petrus obiectiuus*, darentur defacto duo cōtradictoria obiectiuè, si illa admittatur ut conceptibilis, quod esse absurdum nemo non uidet eo quòd darentur, & non darentur.

ARTICVLVS QVINTVS.

Soluuntur argumenta contraria, & solidè confirmatur omne obiectum cuiuscunque cognitionis, esse possibile, & reale.

CONtra ea, quæ diximus, multi multa obijciunt, quæ nullam omninò habent difficultatem in re, sed solùm in

ipſis terminis, quorum percæptio aliquale negotiũ facessit incipiẽtibus. Ideo huiuſmodi omnia arguméta efficacitate primũ, qua potero, maxima, & claritate proponã; deinde altera tãta quoq; facilitate diluam, vt omnibus pateat ſolidiſſimæ huius doctrinæ veritas, toties à tot impugnatæ, & à nullò expugnatæ.

Primùm igitur argumentum eſt huiuſmodi. Non poteſt aliquid affirmari, vel negari, niſi prius cognoſcatur per ſimplicem apprehenſionem. Ergo ſiue concedatur, ſiue negetur ens rationis, ſemper illud cognoſcitur, adeoque datur obiectiuè tãcũ intellectu, ad quod aliud non requiritur, niſi quòd cognoſcatur. Secundum eſt, negatio nõ eſt ens, cùm ſit potius non ens, & tamen eſt cognoſcibilis. Ergo cognoſcibilitas non ſequitur ad rationem entis, adeoque poteſt eſſe cognoſcibile aliquid, quod non ſit ens, & per cõſequens, quod ſit aliquid impoſſibile. Tertium, quia poſſum cognoſcere oppoſitum *entis realis vt ſic*. Sed hoc eſt *non reale*. Ergo poſſum cognoſcere aliquid non reale. Quartũ, quia poteſt voluntas ferri in aliquid impoſſibile. Poſito enim quòd illi repræſentetur

vt

vt possibile, quod verè non est possibile, vt esset e.g. Petro esse Deum, &c. cùm in huiusmodi obiecto, appareat ratio boni motiua, potest in illud ferri per desiderium, quod semper fertur in bonum, repręsentatum vt possibile. Ergo etiam intellectus poterit ferri in aliquod impossibile, pręsertim cùm nihil volitum, quin præcognitum. Quintum, quia possunt multa affirmari, sub aliqua hypothesi impossibili, vt si Petrus dicat, *si essē Deus hoc facerem*. In tali casu respicitur impossibilitas obiectiua, saltem ex parte talis hypothesis. ergo &c. Sextum quia potest negari existentia de Deo, & affirmari existentia alterius Dei. In tali autem casu cognoscitur non solùm negatio Dei, sed etiam alterius Dei existentia, quæ sunt impossibiles. Ergo possunt cognosci plura impossibilia. Quod idē valet de alijs propositionibus, quæ dicuntur impossibiles, videlicet *homo est ferrum, homo non est animal, Deus est albus*, & aliæ huiusmodi.

Ad primum argumentum, petitum ex præexistentia simplicium apprehensionum, ad actum affirmatiuum, seu negatiuum, concesso antecedenti, nego

con-

consequentiam quoad secundam partem. Prò cuius intelligentia, primò reuocandum est in memoriam, quod diximus in libris Perhiermenias, videlicet voces significare immediatè cōceptus, ijsque mediantibus, res. Deinde supponendum est etiam ex libro 1. log. disp. 4. ar. 4. omnem cognitionem esse, saltem virtualiter, reflexiuam sui. Tertiò supponendum est, cùm particula *non* sit malignantis naturæ, quotiescunque præponitur alicui propositioni, negare totum illud, quod est in illa propositione. Quare hec propositio, *non datur ens rationis* facit hunc sensum, hæc propositio *datur ens rationis* non est vera. His suppositis.

Dico, quādo à nobis negatur, cognosci aliquid, quod habeat tantùm esse obiectiuè in intellectu, ideo negari, quia putamus, hanc propositionem *datur ens rationis* esse falsam. Atque adeo quando dicimus, *non datur ens rationis*, ly *non* cadit supra obiectum, immediatè significatum per has voces, quod est conceptus formalis, seu propositio mentalis, illis correspōdens. Quòd autem hæc propositio, *datur ens rationis* sit falsa, probatur

tur euidenter. Nam, vt diximus in fine primi articuli, hæc propositio *datur ens rationis*, æquiualet huic, *cognosco aliquod obiectum impossibile*. Et ideo cùm sic implicitè, & virtualiter copulatiua, facit hunc sensum, *cognosco obiectū, & illud est rationis*; atque adeo continet duas propositiones, in quarū prima affirmatur, *cognosci obiectum*, & in secunda *illud esse rationis*, quod in subiecta materia, idem sonat, atque *impossibile*. Cùm autem de nullo obiecto verificetur, quòd sit imimpossibile, vt probauimus in articulis antecedentibus, de nullo obiecto poterit verificari illa secunda pars; & per consequens cùm illa sit falsa, refundit falsitatem in totam propositionē, iuxtà leges copulatiuæ. Prætereà illa prima propositio *datur ens rationis*, etiam vt iacet, formaliter est falsa, quia *ens* couertitur cum *possibili*, vt toties diximus, & ly *rationis* conuertitur hìc cum *impossibili*. ergo idem est dicere, *datur ens rationis*, *siue impossibile*, atque dicere *datur possibile*, *quod non est possibile*, cuius falsitas omnibus patet,

Dices. Si hæc propositio *datur ens rationis* est falsa, propter illam implici-

tam affirmationem, *ens quòd est rationis*, cùm hæc retineatur etiam in negatiua, vtraque erit falsa; atque adeo ens rationis, neque poterit verè concedi, neque verè negari. Sed hoc est absurdum. Ergo &c. Distinguo maiorem: neque poterit verè negari, neque verè affirmari directè, concedo: reflexè, nego maiorem. Et eodem modo distincta minori, nego cōsequentiam. Dico igitur, verè negari *ens rationis* reflexè, quia negatur veritas de illa propositione, qua illud dari affirmatur; Nō autem verè negatur directè, quia cùm 'y *ens rationis*, faciat sensum copulatiuum, destruentem se ipsum, vt supponitur in argumento, vbicunq; hæc vocum complexio reperiatur, si directè accipiatur, falsificat semper propositionem. Quare hæ voces reducendæ sunt ad sensum formalem, ita vt faciant propositionem reflexam, & tūc poterit ens rationis verè negari, quamuis nō possit verè affirmari. Neque obstat falsitas illius particulæ *rationis*, huic secundæ propositioni reflexæ, *non datur ens rationis*, quia hęc reflexè sumpta, est disiunctiua, & non copulatiua, & facit hunc sensum, *Vel datur ens, quod sit rationis, vel hæc*

pro-

propositio non est vera. Quare cùm ad veritatem disiunctiuæ, sufficiat veritas vnius partis, si hæc inueniatur in secunda parte negatiua, parùm refert, quòd non reperiatur etiam in prima affirmatiua. Quòd si aliquis adhùc hæreat in percæptione huius doctrinæ difficilis quidē, sed verissimæ, insuper hæc dico clariùs. Tunc tantùm cognosceretur directè ens rationis, quādo cognosceretur aliquod obiectum, de quo verificaretur, quòd nō sit possibile. Reflexè verò tunc dicitur cognosci, quando cognoscitur aliqua propositio, in qua negatur de aliquo obiecto, quòd non sit possibile. In primo casu, iuxtà primum sensum, videlicet directè, verè negatur, cognosci ens rationis, quia de nullo obiecto verificatur, quòd non sit possibile. In secundo casu, iuxtà sensum reflexum, verè cōceditur, cognosci ens rationis, quia verè cognoscitur illa propositio, per quam negatur possibilitas de aliquo obiecto directo, & per consequens nō verè negatur, illud cognosci. Nomine autem entis rationis, in hoc secundo sensu, non intelligitur aliquod obiectiuè impossibile, sed solùm aliquod formaliter impossibile, de quo

infrà. Et ideo cōceditur, illud cognosci, quia verè illud datur, eo quòd verè detur propofisio inuerificabilis.

Dices, ergo poteſt uerè cōcedi, & verè negari, *dari ens rationis*. Diſtinguo. Si ly *ens rationis* ſupponat prò eodē, nego: Si prò diuerſis, concedo conſequentiam. Poteſt enim aliquādo ſignificare *ens rationis obiectiuum*, & hóc negatur: Et aliquando *ens rationis formale*, & hoc conceditur. Nullum autem eſt abſurdum, quòd vnum cōcedatur, & aliud negetur.

Neque obſtat, quòd *ens rationis obiectiuum*, à nobis etiam cum alijs definiatur. Hoc enim duplici ex cauſa fit. Primò vt conueniamus in terminis, cum Aduerſarijs, alioquin diſputare nō poſſemus. Et ſecundò vt aliquem rudē conceptum Auditoribus tribuamus, illius, quod reiicimus in prǫſentia, nè videlicet videamur ferri in ignotum. Cæterùm cū illa definitio ſit eſſentialiter falſa, immò inuerificabilis, eo quod idem affirmet, & neget de eodem, de nullo obiecto verificatur. Quamuis enim illi, qui attulerunt illam definitionem, habuerint animum, aliquid definiendi, tamen verè, & realiter nihil definiuerūt; atque adeo eſt

pro-

propositio de subiecto non supponente. Eo plane modo, quo si aliquis volés definire hominem, diceret *homo est animal rationale, quod non est rationale*, nihil definiret, quia neque definiret hominem, neque non hominem, eo quòd esset definitio se ipsam destruens. Idem dico, contingere in illa definitione, in qua per ly *quod habet esse obiectiuè in intellectu*, venit aliquid reale, & per ly *tantùm*, negatur esse reale; Assignatur enim differētia aliqua negatiua, quæ nulli potest conuenire obiecto reali, immo quæ destruit omnem realitatem; adeoque hæc definitio continet partes se inuicem destruentes, & per consequens est absolutè non solùm falsa, sed inuerificabilis.

Ad secundum, ductum ex paritate cognoscibilitatis negationum, distinguo minorem. Negatio est cognoscibilis directè, & per species proprias, nego: Indirectè, & per species alienas, concedo minorem. Et distinguo consequens. Cognoscibilitas directa, & per species proprias, non sequitur ad rationem entis, nego: Indirecta, & per species alienas, transeat consequentia.

Dices primò, ergo saltem indirectè,

& abstractiuè, seu per species alienas poterit cognosci chimæra, seu aliquod obiectiuè impossibile. Nego consequentiã. Disparitas est, quia in tantùm dicitur, cognosci indirectè negatio, in quantùm eius cognitio terminatur ad eius oppositum positiuum, per modũ fugæ. Ideo enim e. g. dicitur cognosci negatio Petri, quia cognoscitur Petrus non existẽs, per cuius non existentiam ponatur eius negatio, quæ ideo dicitur abusiuè, & impropriè existere, quia scilicet nihil est aliud, quàm non existentia sui oppositi. Chimæra verò, cùm sit aliquid necessariò non existens, in sentẽtia illã admittẽte, adeoq; omninò impossibile, nullũ haberet oppositum, per cuius species cognosceretur, vt supra dictum est. Ergo neque posset cognosci per species sui, neque per species alienas. Quòd autem chimæra nulli opponeretur, probatur iterùm euidenter. Si haberet oppositũ, vel illi opponeretur contrariè, vel contradictoriè? Si primum. Ergo non existentia illius, non esset non existentia chimæræ, quia possent ambo simul existere, vt calor, & frigus in diuersis subiectis, vel etiam in eodem, saltem super-

na-

naturaliter. Præterea, cùm contraria dicant aptitudinem in eodem communi subiecto, à quo se inuicem excludunt, posset chimæra simpliciter existere, quę sunt absurda. Si verò dicatur, opponi cōtradictoriè. Ergo posito quòd remoueretur id, cui opponitur, daretur chimæra. Sed omnia, quibus dicatur chimera opponi, possunt non dari, quia nihil est necessarium, præter Deū Ergo chimęra non esset impossibilis, quia posset existere, per non existentiam sui contradictorij, quod est ridiculum.

Quòd si dicas secundò, oppositū chimæræ esse Deum, adeoque cùm hic non possit non existere, neque posse existere chimærā; Contra est primò, quia nomine chimærę, ab illam admittentibus, intelligitur complexū aliquod ex duobus contradictorijs, videlicet ex Petro, & negatione Petri, vt toties diximus. Ergo non esset aliquod merè negatiuū, quia includeret partem positiuam. Sed nihil positiuum opponitur Deo contradictoriè. Ergo chimæra non opponitur Deo contradictoriè. Deinde quia, quāuis per impossibile supponamus, poni chimæram, non tamen proinde suppo-

nimus,

nimus, non dari Deum. Nam possumus argumētari multa de Deo, ex hypothesi, impossibili quòd coexisteret chimęræ. Ergo oppositum chimæræ contradictoriè non est Deus. Tertiò quia, si supponamus, Deum non existere, non proinde existeret *Petrus non Petrus, ens non ens*, sed solùm existeret *non ens*, videlicet negatio omnium rerum. Sed est impossibile, quòd non existente vno ex cōtradictorijs, aliud non existat. Ergo Deus non est contradictorium chimærę, cuius existentia non resultaret formaliter, ex hypothesi impossibili, non existentiæ Dei. Demum quia est impossibile, quòd duo positiua sint ad inuicem contradictoria, nam vnum debet esse negatio alterius. Ergo cùm chimæra, saltē inadæquatè, sit positiua, non potest opponi contradictoriè alteri positiuo, vt est Deus.

Instabis tertiò, oppositum chimæræ est ens reale vt sic. Ergo potest cognosci per eius species. Sed cōtrà est, & erit solutio tertij. Nam uel ly *ens reale vt sic*, accipitur formaliter, vt abstractū ab inferioribus, vel materialiter secundùm illud, quod est in se? Si primum, cùm sit se-

secunda quædam intentio, seu aliquod vniuersale, factum per intellectum, sicut verè, & realiter datur per cognitionem abstractiuam, ita potest non dari per defectum talis cognitionis. Si ergo illi opponeretur chimæra cōtradictoriè, posset hæc existere, per non existentiam illius, quod est absurdum. Si uerò accipiatur materialiter, ut est in se, cùm hoc nihil sit aliud (vt uidimus in logicis) quā inferiora, chimæra opponeretur singulis, & omnibus ētibus realibus; adeoque per singulorum non existentiam existeret, & recidimus in idem absurdum. Ergo à primo ad vltimum, oppositum chimærę, non potest esse, ens reale vt sic.

Dices quartò, chimæra opponitur omnibus entibus realibus collectiuè. nō ergo daretur, nisi posita simul omnium negatione, quod est impossibile. Sed cōtra est. Nam sub collectione omnium entium realium, vel includis etiam Deū, vel non? Si secundum, ergo cùm omnia creata possint simul non existere, poterit existere chimæra, immò de facto fuit ante creationem mūdi. Si verò includas ipsum Deū, redeunt argumēnta huc vsq; allata. Ergo chimæra neque oppo-

nitur

nitur entibus realibus distributiuè, nequè collectiuè sumptis.

Vrgebis quintò, *ens reale*, & *non ens reale* sunt contradictoria, eo quòd se inuicem destruant. Ergo cùm primum dicat omnem realitatem, hoc secundum dicet aliquid contradistinctum ab omni ēte reali, adeoque aliquid obiectiuè impossibile. Sed hoc est oppositum entis realis ut sic. Ergo chimæra opponitur enti reali ut sic.

Distinguo antecedens: Sunt contradictoria formaliter, concedo: obiectiuè, nego antecedens, & cum illo consequētiam. Dico ergo, has duas propositiones, seu conceptus expressos per hos terminos *ens reale, non ens reale*, esse quidem ad inuicem oppositos contradictoriè. Hinc tamen non sequitur, illis etiam ex parte obiecti, correspōdere aliqua duo, sibi inuicem opposita contradictoriè, videlicet *ens reale vt sic*, & *negationem entis realis vt sic*. Ratio est illa, quam attulimus, in tertio articulo huius disputationis, idest ad veram cōtradictionem requiri, quòd idem planè, quod affirmatur de vno, de eodē formaliter inuariatum negetur. Hoc autem non esset, si ly

ens

ens reale supponeret prò omnibus entibus realibus positiuis, & ly *non ens reale* supponeret prò eorum negationibus. Quis enim dicat, *ens reale* esse idem formaliter cum *sui negatione*? In tantùm ergo sunt contradictorij formaliter, illi duo conceptus, expressi per ly *ens*, *non ens*, in quantum respiciunt idem omninò obiectum, quod ab vno affirmetur, & ab alio negetur, de eodem subiecto, vt ibidem fusè probauimus. Ergo ex cōtradictione formali horum terminorū, nihil arguenti resultat prò obiectiua.

Quòd si demū replices, illos esse terminos incomplexos, exprimentes simplices apprehensiones, non autem iudicia, quorùm vnum sit affirmatiuum, & aliud negatiuum. Ergo cum illarum diuersitas, non possit haberi, ex modo tendendi compositiuo, & diuisiuo, expresso per ly *est*, *non est*, debet desumi ex diuersitate obiectorum, quorùm vnum sit *entitas positiua omnium realium*, & aliud *eorumdem negationes*. Si inquam, hoc dicas, nego suppositum, primò, quia ly *ens reale*, *non ens reale*, non sunt termini incomplexi, vt supra vidimus, eo quòd inuoluant formaliter iudicia, expressa per ly

reale,

reale, non reale, quæ idem sonant, atque *ens, quod est reale, ens quod, non est reale*, vt dictum est in responsione ad primum. Deinde quamuis concedatur, illos esse terminos incomplexos, non tamen sequitur, illos respicere, ex parte obiecti, omnes entitates positiuas & earum omnium negationes. Ratio est euidens, quã supra attulimus, in quinta conclusione articuli tertij, quia nulla datur, seu est possibilis, immo nec conceptibilis negatio necessaria, qualis esset negatio Dei. Vel ergo per ly *ens reale vt sic*, intelligimus etiam Deum, vel non? Si primum, non potest concipi eius cõtradictorium negatiuum, quod conceptibile non est, vt ibi probatum est. Si secundum, verè potest concipi huiusmodi contradictorium negatiuum. Sed hoc est possibile, & reale; adeoque, ut modo vidimus, non potest esse contradictorium chimæræ, quia si præscindamus ab uno Deo, omnia possunt non esse, & per consequens omnium entium realium potest non solùm concipi, sed uerè dari negatio. Quare numquam sequitur, per talem negationem, esse conceptibilem chimæram.

Ad quartum, petitum ex desiderio re-

rum

rum impossibilium, nego maiorem, propter eamdẽ rationẽ, quam innuit argumentum in fine. Quia cùm volũtas nihil possit vel amare, vel odisse, quod sibi ab intellectu non repræsentetur vt bonum, vel vt malum, totũ illud, quod est obiectum voluntatis, fuit prius obiectum intellectus, iuxta illud *nihil volitum, quin præcognitum*. Sed nullum impossibile potest esse obiectum intellectus, ut hucusque probauimus. Ergo neque potest esse obiectum uoluntatis. Ad rationem dubitandi respondeo, quòd si intellectus erraret, repręsentando uoluntati aliquid ut bonum, & ipsi possibile, quod uerè nõ esset tale, non proinde repręsentaret illi obiectum aliquod impossibile, quale nec ipse intellectus potest cognoscere. Si enim fingamus, uolũtati ab intellectu repræsentari ut bonũ, *eße Deum* e.g., quid habet prò obiecto huiusmodi desideriũ? Profectò non aliud, quàm identitatem Dei, prout uestitã tali cognitione falsa, qua uolũtati falsò repræsentetur, ut idẽtitas cum Petro. e.g. Identitas autem tali modo repræsentata, non est aliquid impossibile obiectiuè, quià siuè accipiatur seorsim identitas Dei, & talis falsa repræsen-

præſentatio, ſiue ſimul, ſemper ſunt duo poſſibilia. Neque enim ullum eſt abſurdum, quòd uoluntas feratur interdum in aliquod obiectum, ſub aliqua formalitate, ſub qua appareat illi bonum, in quod non ferretur, ſub alia formalitate, ſub qua non appareret illi bonum, uel conſequibile. Siquidem hoc, ſicut nullam dicit uariationem intrinſecam obiecti, ſed ſolum extrinſecarum formalitatum, ſub quibus illud uolũtati repræſentatur; Ità non facit, quòd uoluntas feratur, circa aliquod, præter ea, quæ ſunt obiectũ intellectus, illam dirigentis, adeoque extra obiectum adæquatum ipſius uoluntatis.

Dices, poſita identitate Dei cum ſeipſo, & tali extrinſeca falſa formalitate, voluntas Petri non eſt contenta. Ergo deſiderat aliquód aliud, ex parte obiecti, videlicet idẽtitatem Dei cum Petro. Diſtinguo antecedens. Voluntas nõ eſt contenta, ſi ſupponamus, dari aliã formalitatẽ falſam, qua illi repræſentetur, idẽtitas Dei, vt identitas propria, nego: Non poſita huiuſmodi formalitate, cõcedo antecedens. Et nego conſequentiã. Dico enim, cùm hoc deſiderium Petri,

fuerit

fuerit excitatum ab illo errore, quo illi repræsentabatur, vt consequibilis identitas Dei, seu natura diuina, non posse expleri, nisi vel deponatur hic error, vel alio illi occurratur errore, quo falsò repræsentetur vt habitum, quod haberi nō potest. Eo planè modo, quo si aliquis optet per errorem, ire in cōcauum lunę, eo quòd aliquis illi dixerit, illuc iter mortalibus patere, non poterit hic satiari, nisi vel deponat errorem, iudicando, mortalibus illuc iter non esse, vel aliū assumat errorem primo peiorem, quo falsiùs putet, aliquem locum, quem ambulando tenuerit, esse concauum lunæ. Sicut ergo huius desiderium, non ferretur, ex parte obiecti, nisi in ipsum lunæ concauum, vestitum illa falsa formalitate; Ita & desiderans, esse Deum, non aliud respicit ex parte obiecti, quàm ipsum Deum, uestitum tali falsa apprehēsione. Et ideo est desideriū inexplebile, nisi illi alio occurratur errore. Hoc autem meliùs intelligetur, exemplo magis obuio. Videat aliquis auricalcum à longè; & per errorem putans, illud esse aurum, statim illuc accurrat, ut aurum accipiat. Quid habet hic prò obiecto, in

tali casu? Vtique non aliud, quàm auricalcum, ut uestitum tali cognitione, qua illud ut aurũ repræsentetur. Habeat tandē illud, eritne proinde contentus? Certè contentus non erit, in sensu composito cum illo primo iudicio, nisi aliud habeat iudicium falsius primo, quòd illud sit aurum, quod iam habet. Idem dicito de desiderio Petri.

Vrgebis. Illud quod mouet, non est talis formalitas, sed obiectum, uidelicet identitas impossibilis Dei cum Petro. Ergo exemplum non est ad rem. Nego antecedens. Nam statuemus in physicis, finem non mouere, nisi ut cognitum. Quare id, quod mouet ad huiusmodi desiderium, aliud non est, quàm identitas Dei, taliter falsò apprehensa.

Ad quintum, ductum ex affirmationibus, factis sub hypothesi impossibili, Distinguo maiorem. Possũt multa affirmari, sub aliqua hypothesi impossibili formaliter, concedo: impossibili obiectiuè, nego maiorem. Et distincta eodē modo minori, uidelicet impossibilitatem obiectiuam non sequi, nisi ex suppositione, quòd affirmetur aliquid, sub hypothesi obiectiuè impossibili, nō autem

tem

tem ex ſuppoſitione, quòd affirmetur, ſub hypotheſi formaliter impoſſibili, nego conſequentiam. Prò cuius intelligentia, Dico, hanc propoſitionem, *ſi eſsē Deus, hoc facerem*, attingere ex parte obiecti ſolùm poſſibilia, & reduci ad sēſum formalem, tali ratione, *Si ego verè iudicarem, me eſſe Deum, hoc facerem*, ſeù *ſi eſſet vera hæc propoſitio, ſum Deus, hoc facerem*. In utroque autem ſenſu, ſemper attingit ex parte conditionis, uel ueritatem talis propoſitionis, uel iudicium falſum, quòd illa detur. Ergo cùm ſit poſſibile iudicium falſum, de tali ueritate, erit etiam poſſibilis tota illa conditio, ſub qua hoc affirmatur, & per conſequens, cùm obiectum cuiuſcunque iudicij, ſit reale, ut ſupra uidimus, erit quoque reale totum obiectū huiuſmodi propoſitionis conditionatæ.

Dices, Veritas huius propoſitionis factæ à Petro, *ſum Deus*, eſt omninò impoſſibilis obiectiuè. Ergo cùm ſub illa, tamquam ſub conditione, affirmetur illud aliud, *hoc facerem*, attingit aliquid obiectiuè impoſſibile. Nego antecedēs. Vel enim nomine talis ueritatis intelligitur ipſamet propoſitio formaliter, uel

uel eius obiectum, uel aliquid aliud? Primum dici non potest, alioquin cùm hæc propositio detur de facto, daretur eius ueritas, quod est falsum. Si secundum, cũ obiectum huius propositionis nil sit, præter Petrum, & Deum, totũ erit possibile; adeoque non esset aliquid impossibile. Præterquamquòd ueritas formalis propositionis, non est in obiecto, sed in ipsa propositione, ut uidimus in logicis. Aliud assignari non potest, in quo consistat. Ergo dicendum est, ueritatem talis propositionis, dici solùm impossibilem reflexè, & formaliter, uidelicet, quòd si aliquis concedat, illam esse ueram, teneretur concedere duo cõtradictoria, idest Petrum *esse Petrum, & non esse Petrum; esse Deum, & non eße Deum*. Hoc autem nullam dicit obiectiuam impossibilitatem, sed solam propositionis inuerificabilitatem.

Vrgebis, ipsa inuerificabilitas desumitur ex obiecto. Ergo est impossibilitas obiectiua. Ad hoc argumentum respondimus, in articulo secundo, negando antecedens; ibi enim probauimus, desumi ex modo tendendi, ipsius propositionis formalis. Ergo numquam est

aliquod

aliquod obiectiuum. Recenseantur quæ ibi diximus, nè eadem bis repetamus.

Ad sextum, ductum ex affirmationibus, vel negationibus absonis, patet responsio ex ijs, quæ diximus supra ar. 2. quando probauimus, particulam *est*, *non est* exprimere, non identitatem obiectiuam, & eiusdem negationem, sed solùm modum tendendi compositiuum, & negatiuũ; adeoque omnes propositiones, quæ dicuntur impossibiles, versari circa obiecta adæquatè realia, & dici solùm formaliter impossibiles. Quid sit autem esse impossibile formaliter, & per quid distinguatur ab impossibili obiectiuè, quoniã toties de illo fecimus mentionẽ, breuiter enucleabimus articulo sequẽti.

ARTICVLVS SEXTVS

An detur ens rationis formaliter? Et per quid distinguatur ab ente rationis obiectiuo? Vbi an Deus, & Angeli possint facere ens rationis?

PRobauimus hùc vsque, omne obiectum, seu intellectus, seu volũtatis, seu

ſeu cuiuſcunque alterius potentiæ cognoſcitiuæ, ab illis dependentis in cognoſcendo, eſſe poſſibile, & reale, & per conſequens nullum dari impoſſibile, ex parte obiecti. Agitandum nũc ſupereſt, an ſaltẽ poſſit fieri ens rationis formaliter, quod toties innuimus vt poſſibile, in hac materia? Ratio dubitandi eſt, quia etiamſi concedatur, nullum obiectũ eſſe impoſſibile, ſemper tamen remanet difficilis explicatio, aliquarum propoſitionum, quæ dicuntur impoſſibiles, cuiuſmodi ſunt hæ, *Petrus eſt ferrum, ſi homo eſſet canis, latraret, Deus eſt albus*, & aliæ huiuſmodi.

Dupliciter ergo admittitur in ſcholis ens rationis metaphyſicũ, *obiectiuè*, & *formaliter*. Obiectiuè tunc admittitur, quando conceditur, poſſe dari aliquam cognitionem, quæ terminetur ad tale obiectũm, vt ſi hoc poneretur à parte rei, traheret ſecum implicantiam duorũ contradictoriorum, quale eſſet e.g., *hircocervus*, quia hoc obiectum, cùm dicat eſſentialiter identitatem, ſeu conſenſum intrinſecum, in prædicatis perfectiuis, hirci cum ceruo, ſi fingatur poni à parte rei, ex vna parte eſſet hircus, quia ſuppone-

poneretur includere, omnia prædicata essentialia hirci, & ex alia non esset hircus, quia includeret prædicata essentiatialia cerui, qui essentialiter hircum à se excludit. Ergo cùm *esse hircum*, & *non esse hircum* sint cōtradictoria, si fingamus, hoc obiectum poni à parte rei, implicaret contradictionem.

Tūc autem admittitur solùm formaliter ens rationis, cùm asseritur, ex parte obiecti, omnia esse realia, & possibilia; Ex parte tamen ipsius actus, siue affirmatiui, seu negatiui, inueniri talem tendentiam, quæ si concedatur, vt conformis cum suo obiecto, necessitet intellectum, in bona forma syllogistica, ad cōcedendas duas propositiones contradictorias. E.g. hic actus *homo est ferrum*, ex parte obiecti, nihil attingit, præter *hominem*, & *ferrum*, qui sunt reales; Ita tamen attinguntur per hunc actum, vt si eius tēdētia in hęc duo, cōcedatur, tāquā illis cōformis, atque adeo esse verū hunc actum, necessitetur etiam intellectus, ad cōcedendas has 2. propositiones cōtradictorias, *homo est homo*, & *non est homo*: *Est lapis*, & *nō est lapis*. His positis, dupli. ci conclusione, disputationē concludo.

Prima conclusio. *Datur ens rationis metaphysicum formaliter, per indebitum modum tendendi, in obiecta realia*. Probatur, quia multæ sunt propositiones inuerificabiles, quæ quamuis sint circa obiecta realia, dicuntur tamen impossibiles. Harum autem impossibilitas, aliũde desumi non potest, quàm ex indebita tendentia in sua obiecta. Ergo cùm ens rationis formaliter, nihil sit aliud, quàm huiusmodi propositiones, de facto datur. Maior patet. Minor probatur, quia omnis impossibilitas, vel prouenit ex impotentia, circa aliquod obiectum, & dicitur obiectiua, vel sistit in ipso actu, & dicitur formalis. Cùm ergo impossibilitas harum propositionum, non sit ex impotẽtia, circa aliquod obiectum, erit merè formalis. Et ideo si quis concedat cum Arrianis, esse veram hanc propositionem e.g. *Verbum est creatura*, tenetur concedere duo contradictoria, videlicet *Verbum esse Verbum, & non esse: esse creaturam, & non esse*. Et hæc est ratio, quare qui facit ens rationis, dicatur chimærizare, quia videlicet non attingit aliquid ex parte obiecti, quod in se sit chimæra, sed circa obiecta realia, facit chimæras,

idest

ideſt actus eſſentialiter falſos, & inuerificabiles, componendo ſcilicet, quæ deberet diuidere, & diuidendo ea, quæ fuerant componenda.

Dices, hæ propoſitiones dantur de facto. Ergo non ſunt impoſſibiles. Diſtinguo conſequens, non ſunt impoſſibiles obiectiuè, concedo, formaliter nego conſequentiam. Dico igitur, impoſſibilitatem obiectiuam, eſſe impoſſibilitatē quoad exiſtentiam, in ſententia illam admittente; Et ideo quæcunque dicuntur hoc modo impoſſibilia, non poſſunt exiſtere. At impoſſibilitas formalis nihil eſt aliud, quàm cōnexio neceſſaria alicuius propoſitionis, cum alijs duabus contradictorijs, ita ut illa concedi non poſſit, quin hæ concedantur vt vera, quod intellectus, vt aliquod intrinſecè falſum, naturaliter, & eſſentialiter exhorret: vt patet in hac propoſitione, *homo eſt ferrum*, quæ connectitur cum his, *homo eſt homo, homo non eſt homo*, quæ ſunt cōtradictoriæ. Hæc autem connexio talium propoſitionum, nō ſolùm eſt poſſibilis, ſed datur de facto. Et ideo illa propoſitio *homo eſt ferrum*, dicitur impoſſibilis, non quia non poſſit exiſtere, ſed ex eo

quòd fieri nō possit, vt intellectus illam separet ab aliis duabus contradictorijs, quas quia vt veras concedere nō potest; Ideo neque illam concedit vt veram, quę proinde denominatur inuerificabilis.

Secunda conclusio, *Deus non potest facere hoc ens rationis directè, sed solùm reflexè. Angeli autem directè, & reflexè.* Probatur prima pars, quia ens rationis directè non potest fieri, nisi per propositionem falsam. Sed omnis propositio falsa est error, & defectus. Ergo non potest in Deum cadere. Probatur secunda pars, quia facere ens rationis reflexè, est illud cognoscere, vt factum ab alio. Sed Deus potest, immo debet necessariò cognoscere, omnes cognitiones creatas, etiam falsas, & inuerificabiles, per quas chimærizamus, quia hæ omnes sunt ens, adeoque pendent à Deo. Ergo potest Deus hoc modo facere ens rationis. Maior patet ex definitione. Minor probatur, quia sicut est imperfectio habere cognitiones falsas, ita est perfectio cognoscere illas habentem. Sed Deo conuenit omnis perfectio. Ergo etiam hæc. Probatur tertia pars, quia sicut Angeli possunt errare, saltem circa obiecta superna-

pernaturalia, ita possunt chimærizare. Quare eodem modo debemus hìc philosophari de Deo, & Angelis, in ordine ad ens rationis, sicut de illis fuimus philosophati, in logicis, in ordine ad factionem vniuersalis.

Obijcies primò. Si ponatur à parte rei totũ illud, quod concipitur, ex parte obiecti, per hunc actum, *Verbũ est creatura* (quod idem dico de cæteris), illud est aliquid impossibile obiectiuè. Ergo si admittatur ens rationis formaliter, debet etiam admitti obiectiuè. Nego antecedens. Cum enim obiectum huius propositionis, nihil sit aliud, præter *Verbum*, & *creaturam*, totum est reale. Quia siue hæc accipiantur seorsim, siue simul cum ipso actu compositiuo, semper vel existunt, vel possunt existere, adeoque sunt aliquid reale.

Dices, non sunt aliquid reale, quatenùs repræsentantur per hunc actum, per quem repræsentantur vt composita, & componi non possunt. Ergo sunt aliquid impossibile obiectiuè. Nego antecedens. Ratio est, quia cum compositio sit illis extrinseca, & intentionalis, & nihil sit aliud, quàm ipsamet impia, &

inuerificabilis propositio, non solùm potest dari, sed datur de facto, in mente Arriani. Quòd autem non possit dari à parte rei, seu extra intellectum, hoc non dicit aliquid peculiare constitutiuum chimæræ, alioquin omnis cognitio esset chimera, posito quòd, extrà intellectum existere non possit.

Obijcies secundò, cognosco negationem Dei. Sed hæc est aliquid obiectiuè impossibile. Ergo. Nego antecedēs. Vel enim est sermo de iudicio, quo dicam, *Deus non existit, seu datur negatio Dei;* vel de simplici apprehensione, illam attingente, ex parte obiecti? Non potest dici primum, quia per hoc, quòd ego dicam *Deus non existit, datur negatio Dei,* non proinde concipio negationem aliquam, quæ opponatur cōtradictoriè ipsi Deo, vt supra dictum est art. 3. Ratio est, quia per tale iudicium ego aliud non concipio, quàm Deum, eiusque existentiam, vnum ab alio diuidēdo. Quare per ly *negatio*, nullam concipio negationem determinatè, sed solùm, negationem aliquam indeterminatè, & vagè, de qua falsò affirmo, quòd sit Dei. Neque potest dici secundum, quia cùm Deus in-

uoluat essentialiter,in suo conceptu formali,existentiam, nõ potest concipi per modum fugæ; atque adeo quando dicitur ,concipi negatio Dei, cognoscitur negatio alicuius alterius entis, de quo possit verificari,quòd non existat.

Quòd si dicas,hoc gratis asseri; Contra est.Nam certè ab omnibus admittẽdæ sunt,aliquę propositiones;non solùm falsę,sed repugnãtes in terminis, quales sunt hæ,*cognosco A.,quod cognosci non potest:Video Petrum,qui non est Petrus: Homo est animal rationale,quod non est rationale*, & aliæ similes, quarum obiectũ est aliquid reale,sed simul concessum,& negatum: suppositum, & destructum formaliter,per ipsas propositiones. Sicut ergo nemo dicet , per has attingi aliquid,quod reale non sit, sed solùm esse propositiones de subiecto non supponente,& se ipsas formaliter destruentes; Idem dicito etiam de reliquis,quæ quãuis, prima fronte , non videantur huiusmodi,bene tamen percæptæ, sunt his simillimæ,repugnantes in terminis.

Instabis , negatio Dei ideo dicitur impossibilis,quia ex vna parte,illa posita,daretur Deus:& ex alia non daretur.

Ergo ex necessitate existendi, non bene arguitur, illam nõ esse negationem Dei. Sed contra est: Nam facta quacunque hypothesi, verificaretur solũ, dari Deũ. Nam *verificari solùm dari Deum, est non verificari formaliter, dari eius negationem. Sed non verificari formaliter, dari eius negationem, est formaliter Deum existere. Ergo verificari tantùm, dari Deum, est formaliter Deum existere. Sed facta quacunque hypothesi, verificaretur Deum existere. Ergo solùm verificaretur Deum existere*, & per consequens non dari eius negationem, vt loquitur Pallauicinus in loco supra citato.

Obijcies tertiò ly *est* cognoscitur; Sed actus intellectus, vtpote directus, non cognoscitur. Ergo ly *est* non est actus intellectus. Primò distinguo maiorem; ly *est* cognoscitur obiectiuè, seu ex parte obiecti, nego: formaliter, concedo maiorem. Et distinguo minorem, actus intellectus non cognoscitur formaliter, nego: ex parte obiecti, concedo minorẽ. Et deinde nego consequentiam. Quãdo ergo dicis ly *est cognoscitur*; de qua loqueris cognitione? Si de reflexa, verum dicis, sed nihil ad rem, nã hìc est sermo

de.

de obiecto cognitionis directæ; Sin autē loqueris de directa, falsum dicis; nā hæc non attingit aliquid, extra suum obiectum, sicut est ly *est*. Deinde concedo maiorem, & nego minorem. Eadem quippe cognitione, qua cognoscitur ly *est*, cognoscitur etiam actus intellectus cum illa realiter identificatus.

Dices, ly *est* cognoscitur per actum directum, & actus intellectus per reflexum. Ergo non cognoscitur eadem cognitione. Nego primam partem antecedentis, nisi velimus hic, vt veram supponere opinionem, quam ego in logicis lib. 1. disp. 4. ar. 4. vt verissimam propugnaui, videlicet, omnes actus intellectus reflectere supra se. Dixi, *nisi velimus*, quia Aduersarius noster huiusmodi opinionem, non solùm falsam, sed etiam stultam, & ineptam vocauit, quamuis illam sequantur auctores præclarissimi, & rationibus validissimis nitatur, vt in loco probaui.

Obijcies secundò. Quandò intellectus noster cognoscit, *equus est rationalis*, experitur, se cognoscere equum physicè vnitum cum rationalitate, & non intentionaliter. Ergo cognoscit obiectiue v-

nionem impossibilem equi cũ homine. Hoc argumentum tot habet absurda, quot verba. Sequi iens primò nego antecedens, quodnumquam probatur. Deinde transeat antecedens, & nego consequentiam. Nam probauimus supra, omnem vnionem, inter quælibet extrema positiua, esse possibilem, & realem. Tertiò per ly, *equus est rationalis*, vel venit actus intellectus, vel eius obiectum? Si primum. Ergo non cognoscitur vnio physica, sed merè intentionalis; Si secũdum; ergo non cognoscitur, nisi *equus*, & *rationalis*, quæ sunt totum obiectum illius actus. Numquam igitur cognoscitur, obiectiua aliqua vnio, inter hęc duo. Quartò. Quãdo dicis, *experitur se cognoscere*, vel loqueris de cognitione experimentali, distincta ab illo actu *equus est rationalis*, vel de indistincta? Si primum, est falsum, alioquin non esset vna cognitio, sed duę, vna directa, & altera reflexa. Si secundum, ergo hic actus reflecteret supra se, quia se cognosceret, quod tu dicis, esse stultum, & ridiculum. Quare à primo ad vltimum, hoc argumentum est vndequaque solubile.

Dices, apprehendere equum vnitum

interu

intentionaliter cum homine, non est falsum dicere, sed verum. Ad hoc ergo vt saluetur falsitas huius actus, debet apprehendi equus, vnitus physicè cum rationali. Primò distinguo antecedens, apprehendere hoc directè, non est falsum dicere, nego: apprehendere hoc reflexè, non est falsum dicere, concedo antecedens; & distinguo conseq. debet apprehendi directè, transeat, debet apprehendi reflexè, nego consequentiam. Cùm enim falsitas huius actus, habeatur per indebitum modum tendēdi, in extrema realia, ad saluandam eius falsitatem, satis est, quòd probetur hæc indebita tendentia, quæ est propria solius actus directi. Actus autem illam cognoscens & affirmans, non est falsus, sed verus, sicut est reflexus. Deinde vel per ly *apprehendere*, intelligis simplicem intellectus apprehensionem, vel iudicium? Si primum illa neque est vera, neque falsa formaliter, vt vidimus in logicis. Si secundum ineptè exprimitur per ly *apprehendere* quod est proprium solius primæ intellectus operationis. Semper igitur aliis re loqueris, quorsum te vertas.

Ex dictis infer, omnes propositiones necessa...

necessariò falsas, siue affirmatiuas, siue negatiuas, dici impossibiles formaliter, iuxtà sensum supra explicatum. Quod idem dico de propositionibus ab hypothesi impossibili.

Infer secundò quid sit dicendum de illa propositione, *Verbum diuinum est incarnatum*, & de omni alia simili, vel negante existentiã Dei, vel illius affirmante multiplicitatem, seu aliorum possibilitatem Deorum; nam hæ omnes sunt quidem formaliter falsissimæ, & impiæ, tamen obiectiuè sunt veræ.

Dices, si omnes propositiones falsæ, sunt veræ obiectiuè, erunt veræ omnes hæreses damnatæ ab Ecclesia; adeoque poterit, absque vllo errore, affirmari, & negari totũ illud, quod dictat Diabolus, cuiusmodi sunt propositiones illæ, quas congerit Aduersarius, & quas referre nõ possũ sine horrore, *Deus est peccator, impius*, &c. sũt uerba Aduersarij. *Sãctissima Trinitas obiectiuè est cerberea, & furiarũ agmẽ; Christus in morte desperauit, horrẽda dãnatorũ supplicia passus est, Sãcta Romana Ecclesia est sinagoga Satanæ, nec Papa est immediatus Vicarius Christi & Apostolorũ, Beatissima Virgo est obiectiuè adultera.*

ra, &c. Sed hoc est maximum absurdū. Ergo falsa doctrina, vnde sequitur.

Hoc argumentum populare, quod verbis planè sesquipedalibus, populariter prosequitur Aduersarius, ostēdit fortè eius peruersitatem, qui de industria tot simul congerit hæreses, & blasphemias, quasi gaudens verbis refricare, quod ab impijs pronuntiatum, vel inuenit, vel somniauit; nihil tamen probat contrà nostram doctrinam. Respondeo igitur negando sequelam maioris. Ex eo enim, quòd obiectum alicuius propositionis sit verum veritate entis, non sequitur; ipsam propositionem esse formaliter veram. Quare omnes huiusmodi propositiones, ab ipso nuper allatas, execror, & reijcio, vt formaliter falsissimas, vt impias, hereticas, & blasphemas, indignas, quæ perueniant ad brutorum aures, nedum hominum christianorum.

Vrgebis, omnes hę propositiones sūt veræ obiectiuè. Ergo non sunt hæreses, seu blasphemiæ. Nego iterū consequentiam, cuius meminisse non possum, quin excandescam. Quis enim est tam stolidus, nisi fortè vnum excipias arguentē, qui veritatem formalem cum transcendentali

dentali confundat? Illa est in intellectu, & hæc extrà intellectum. Illa est conformitas cum obiecto; Et hæc est potentia terminandi cognitionem veram. Illa est opposita falsitati; hęc autem in ipsamet falsitate, se ipsam formaliter explicat, immo est ipsa falsitas aliquando. Quomodo ergo per illam obiectiuam veritatem, huiusmodi propositionum tolletur falsitas? Hæresis, & blasphemiæ sunt formaliter errores, vt ipsemet, dictorum suorum immemor, fatetur arguens. Error autem nō potest auferri, nisi per oppositam scientiam, cuiusmodi non est veritas obiectiua, sed formalis. Sicut ergo malum morale, non tollitur per physicam bonitatem, immò omne malum morale est bonū physicum; Ita formalis falsitas non pugnat cum veritate entis, immo ipsamet falsitas, & mendacium sunt vera transcendentaliter. Nè tamen videar hoc gratis dixisse, probabo disputatione sequenti, hanc esse doctrinam solidissimam penès theologos primæ classis, tum veteres, cùm recentes.

ARTI-

ARTICVLVS SEPTIMVS

Expenduntur nonnulla, quæ, arrepta qualibet occasione, vel remota, vel etiam impertinenti, in materia de ente rationis, populariter obiiciuntur.

Parergon Sextum.

PRimũ est, malè à me fuisse assertum conclus. 52. ex Physicis, admitti ab Arriaga infinitum terminatum termino proprio. Ipsorum ratio est, quia Arriaga disp. 13. sect. 1. n. 3. ait *aduerte tamen, illud punctum vltimum, non dicendum propriè terminum*. Secundum est, falsam esse conclusionem 6. ex physicis, qua asseruimus, *alia definitio negatiua ex 7. met. t. 8. materia neque est quid, neque est quale, neque quantum, neque aliquid eorum, per quæ ens terminatur, sed aliud, de quo dicitur vnumquodque istorum, quamuis nullã in se contineat implicantiam, & sit optima ad intentum Aristotelis, in tali loco, non tamen est definitio materiæ vt materia est, sed vt substantia est*. Et ideo bene per illam pro-

probatur, materiam esse substantiam incompletam, distinctam à forma. Ratio, quam afferunt falsitatis, est, quia si materia definitur, non vt materia, sed vt substantia, non potest à forma distingui, quæ etiam est substantia. Tertium est, malè dici, albedinem esse lactis proprietatem. Ratio est, quia albedo non est essentia lactis. Quartum malè scribi *achademiam* cum aspiratione, *alianum* cum diphtongo, *somnior* vt deponēs, *pereunor* vt passiuum, & multa alia ethrusca vocabula perperam fuisse, contra ethruscam grāmaticam vsurpata.

Ad primum respondeo, verum esse Arriagā dicere illa verba, videlicet *punctum vltimum non esse dicendum propriè terminum*. Hoc tamen non tollit, quominus ab ipso admittatur infinitū propriè terminatum. Probo ex eius scriptis euidenter. Quid intelligit Arriaga nomine termini proprij? Audiatur ipse in eadē disp. sect. 4. n. 40. *per terminum* (ait, loquēdo de termino proprio) *ego id intelligo, vbi res desinit, & vltrà non progreditur*. Quare si ego inueniam, ab Arriaga fuisse admissum infinitum, huiusmodi terminatum, habebo, fuisse ab illo admissum

missum infinitum, terminatum termino proprio, quod mihi est probandum. Hoc autem statim concedit Arriaga, nam in loco citato, postquam assignauit quid sit terminus proprius, statim subdit, *infinitum autem, hoc modò potest habere terminum, vt patet in duabus costis trianguli, intra se lineam infinitè longam continentis. Et in hoc sensu, etiam Cælum versùs illa linea infinitè longa*(loquitur de linea infinita, quæ sic minor alia infinita, & moueatur Cælum versùs*) haberet in re terminum*, idest terminum proprium. Quid dicis Aduersari? Admittit nè Arriaga infinitum terminatũ termino proprio; an tua sola desipiẽtia proprio caret termino, quia non intelligis quid dicat Arriaga? Et quomodo posset Arriaga negare, à se admitti infinitum propriè terminatum, dum illi dat terminos vtrinq; intrinsecos? Vt patet ex loco citato; & præterea sect. 1. n. 4., vbi ponit lineam infinitã, diuisam in alias duas infinitas, quarum vna habeat non solùm primum punctum intrinsecum, vnde incipit, sed etiam aliud, vltra quod non extendatur, quod iuxta ipsius explicationem, modò traditã, est propriissimè terminus. Audiatur

diantur eius verba, *in primis hæc virga, versùs occidentem, habet punctum determinatum, à quo incipit. Da ergo vlteriùs, illam à Deo diuidi in duas, etiam tunc versùs orientem manebit punctum determinatum, vltra quod non sit aliud*. Sed illud, vltra quod non sit aliud, est terminus proprius per Arriagam. Ergo hoc infinitū habet vtrinque terminum proprium. Quod idem confirmat, in multis alijs locis eiusdem disputationis. Præterquamquòd si hoc negaret, posset euidenter conuinci, ratione à priori, quia iuxtà cōmunem Philosophorum acceptionem, terminus proprius est idem, atque vltima pars. Sed Arriaga admittit in infinito vltimam partem. Ergo terminum proprium.

Dices. Ergo Arriaga sibi cōtradicit? Primò nego consequentiam. Quando enim ait, punctum vltimum nō esse propriè terminum, tunc nomine termini intelligit finem numerationis intentionalis, in vnitatibus tali termino cōprehensis, quas quia dicit esse infinitas, ideo dicit carere termino proprio, idest fine, iuxtà explicationem à se allatam initio illius sectionis, dum explicaret infiniti de-

definitionem, *quod caret fine.* Nos autem loquimur de termino proprio, iuxta cōmunem philosophorum acceptionem, quatenus videlicet significat vltimam partem. Ergo bene cohærent Arriagæ verba cum nostris. An autē vltima pars sit a ia à fine numerationis intentionalis, est alia quæstiô. Certè Arriaga putauit, non esse vnum, & idem. Secundò trāseat antecedens, sibi contradixerit Arriaga. Quid ergo? Proinde non admisit infinitum propriè terminatum? Nego consequentiam. Admisit simul, & negauit. Sicut enim postquam confidenter admisit conclusionem de infinito, vtrinque terminato, confidentiùs fassus est, se non posse illam, contra Aduersariorū obiecta, sustinere vt veram; Ita potuit argumento aliquo victus, illud idem negare, quod prius affirmauerat.

Quòd si hoc tibi videatur incredibile, lege n. 45. sect. 4. eiusd. disp., & inuenies ipsius confessionem, his verbis explicatam, *quid autem sit ei respondendum* (loquitur Arriaga de argumento cōtra infinitum terminatum) *nec mihi occurrit, nec vidi in aliis, quia hoc argumentum non vidi propositum. Malo autem fateri, me non*

videre

videre solutionem: quàm dare aliquam, quã nec ego, nec vllus alius intelligat. Quid dicis, Aduersari? Videtur nè tibi huiusmodi confessio similis tuæ, quam facis de compositione continui conclus. 79. *non audemus affirmare, continuum constare ex partibus diuisibilibus, &c.?* Et conclus. 80. *An verò, vt volebat Zeno, sint immediatè vnita, & numerò finita ad faciendum continuum, quemadmodum nec euidenter affirmare, propter vnam, aut alteram rationẽ in contrarium, ita nec improbare possumus; multa enim, quæ in contrarium obiiciuntur, suas non difficiles admodùm habent solutiones?* An verò est similis illi, quam facis conclus. 76. *continui essentiam inuestigãtes* (attendite, vniuersa Philosophorum respublica; & videte, quomodo fiant conclusiones) *quodammodo hæremus.* Ecce primum assertum. Attẽdite ad secundũ, *immo in rerum immensitate, & multitudine, veluti in euripo æstuamus.* Quid poterit obijci contra istas conclusiones? Quid asseris illis, præter tuæ desipientiæ confessionem? At illi puto similiorem, quã coram freqüenti philosophorum panegeri, medico cuidam aliquid ex Mathematicis obijcienti, semel respõdisti, tua

quamuis

quamuis conclusiones tuentis, non interesse, in materia de quantitate, argumẽtis mathematicis respondere. Deinde Adstantium exprobatione commotus, cùm respõsum quinquies conatus esses, nec tibi quidquam occurreret, quod ad mathematicas faceret facultates, quarũ nè primos quidem terminos attigisti, e silentio tandem suppetias efflagitasti. Verùm cũ incessanter ab arguente Fornario (qui applicatis ad oculos perspicillis, postquam assurrexisset e sede, circumquaque, per totam Adstantium coronam numerosissimam, elatis vocibus respondentem quæritabat) cùm inquã, ad pugnam inuitus reuocareris, vnde putaueras te abreptum, tandem aliquãdo cõfiteri coactus es, *illius argumentum esse vnum ex illis, ad quorum solutionem, te quatuor in scriptis, marginis digitos reliquisse;* adeoque tibi non suppetere solutionem, eamque te libenter auditurum, si mutatis vicibus, ex arguete, Fornarius respondens factus, eadem manu, quà vulnus inflixerat, Achillææ similis hastæ, remediũ quoque opportunè suppeditaret. Putasti nempe, te aliquid impossibile postulasse; atque adeo ruborẽ,

quo

quo tamdiù suffusus eras, in genas Arguentis reiecisse. Sed ò tuam infælicissimam sortem! Tua confusio minimè tectorum *nata nutu, nactaque tutelam tuis tuta* dolis, elabi minimè potuit, vt quondam, sub *sui triumpho*, era Colũque Palladis lacerans, *ne quid nimis* identidem repetẽs, at (melius fortasse repetisset, *tute, tite, tate, tibi tãta tyrãne tulisti:*) tua, inquam vagabatur oratio. Velis tamen, nolis, tunc enimuerò *litterarum vna littera plusquàm medicus factus es*, cũ ex illo vulgaris argumenti, tibi vni ignoti, omnium explosione, quotquot aderant, facilli mam audisti responsionem. Et uæ tibi si ille diutiùs superuixisset, nam ab illo, contractã, ignorantiæ notam, numquam operuisses.

Ad secundum respondeo, ut olim tibi proposuit unus ex familiarissimis tuis, coram ingẽti numero Senatorum, *asinus additus asino, facit extẽsionem. Ergo etiam indiuisibile additum indiuisibili.* Tali scilicet arguenti, aliud argumentum nõ erat proprium, quàm asininum; nec tibi aliũde poterant obijci riunli difficultatum, quàm ex fonte congenio, non caballino, sed asinino, eò quia ex te responsionem

nemo

nemo expectabat, nisi asininam. Sic igitur argumentor. Asinus A. additus asino B. facit numerum, eò quia nō sint unum indiuiduū, sed duo. Et ideo solo numero distinguuntur, ratione diuersarum indiuiduationum. Ergo etiam substantia ut informans, distinguitur à substantia, ut informata. Sed quia hæc distinctio fundatur, in ratione actus, & potentiæ physicæ, quę plusquam numerò distinguuntur; Ideo hæ duæ substantię incomplete, saltem metaphysicè, specie distinguuntur. Vt antē euidenter pateat responsio, quatuor asserui in 6. cōclusione ex physicis, de illa definitione negatiua, *materia neque est quid*, &c. Primò quòd nullam in se cōtineat implicantiam. Deinde quòd sit optima, ad intentum Aristelis. Tertiò quòd non sit definitio materiæ, ut materia est, sed ut substantia est. Et quartò quòd bene per illam probetur, materiā esse substantiam incompletam, distinctā à forma. Probo primum, nam nulla illius particula repugnat alteri. Illud enim, quod de materia negatur per ly *nō quid, non quantum*, &c. non est idem cum eo, quod affirmatur de illa, per ly *sed aliud, dequo dicitur vnumquodque eorum*; hoc

T enim

enim de nullo ex illis uerificatur,ut infrà patebit. Ergo non continet membra contradictoria. Probo secundum, quia ut patet ex textu, nihil aliud intendebat Aristoteles,per talem definitionem,quã probare, illam esse substantiam incompletam,per modum potentiæ,seu subiecti. Sed hoc optimè assequitur,ut patebit in tertio. Ergo hęc definitio est optima ad intentum Aristotelicum. Sicut enim ego bene definirem beatitudinẽ, dicendo, *ibi neque est frigus, neque calor, neque fames, neque vllus dolor, sed omnis voluptas*, quia hoc modo beatitudinem distinguerem ab omni alio. Idem dicito de hac definitione materiæ. Probo tertium, quia hìc nõ definitur materia,per differẽtiam propriam illius. *Illud* enim, *de quo hæc omnia prædicantur*, conuenit etiam substantiæ completæ,ut probauimus in logicis,disp. de sub. Sed est impossibile,quòd definiatur materia,& nõ definiatur per differentiam propriam illius. Ergo, &c. Quarè hìc supponitur, dari materiam, & illam esse subiectum primum; & solùm quæritur,an hoc subiectum sit substantia? Materia igitur ut materia,benè definitur 1. phys. t. 82. *est subie-*

Subiectum primum vniuscuiusque,&c. Probo quartum, quia per ly *non est quid*, distinguitur à substantia completa; Et per ly *non est quale, quantum*, &c. distinguitur ab omni alio, quod non est substantia; Et per ly *de quo dicitur vnumquodque istorũ*, distinguitur à forma. Ergo bene probatur, materiam esse substantiam incompletam, distinctam a forma. Vides Aduersari, quã facilè probauerim omnes, & singulas particulas meæ cõclusionis? Et quàm exinde refulgeat imbecillitas tua? Quare non ualet tuum argumentũ, *materia est substantia, forma est substantia. Ergo non distinguuntur.* Siquidem in 2. figura, argumentum habens utramque præmissam affirmatiuam, est falsum, iuxtà illud, *affirmare nequit præmissa in vtraque secunda.* Alioquin ualeret etiam hoc, *Asinus est substantia; Tu es substantia; Ergo tu es asinus.* Bene igitur dixi, te in huiusmodi obiectione, uelle ad risum lectorem excitare; nam uerè argumẽtum proposuisti, ut cũ Plauto loquar, planè ridicularium. Quare de te meam hanc conclusionem improbante, optimè dici potest, quod apud Sozomenum, in uita Iuliani, multi Sancti Episcopi, de huius-

modi impijssimo transfuga dixerunt, dum catholicam dñi Apollinaris doctrinam, ut erroneam, & fatuam irridebat, *legisti, sed non intellexisti; si enim intellexisses, non improbasses.*

Ad tertium transeat antecedens, & nego cōsequentiam. Sicut enim nigredo est proprietas corui, quamuis non sit eius essentia, Ita etiā potest albedo esse proprietas lactis, quamuis non sit eius essentia. Adhoc infirmandum, recordor, te audaciter asseruisse, posse lac esse rubrum, & de facto à te igni simillimum uisum esse. Sed cùm hoc ab omnibus uidisses exhibilari, quæstionem alio transtulisti, & impugnasti, quod nemo dixit, albedinē esse lactis essentiam, quā scilicet à te confictam, non meam conclusionē.

Ad quartum; quatenùs tangit ortographiam, nullam aliam assero respon. sionem, nisi illam, quę colligitur ex meis libris. Semel, aut iterùm typographorū, vel scriptorum incuria, fuisse vel additā, vel demptā aspirationē, seū diphtongū; ideo hoc mihi, vt ex habitu, & de industria operanti vertendum est vitio? Cur potiùs infinita alia loca non aduertuntur, vbi oppositum legitur scriptitatū?

Enim-

Enimuerò tu in hoc, instar muscarum te gessisti, quæ si forte pulcherrimum in vultum impingant, omissis, quæ ad illius conferunt simethriam, & concinnitatē, vnam seligunt ex contracto mucore, vel infimam genæ particulam sordidatam.

Dices, fuisti correctus, & adhuc in eadem recidisti. Ergo es operatus ex habitu. Nego antecedens, quod non uideo quomodo probes, nisi quia tu dixisti, quamuis toties promiseris te nihil dictu rum non probatū. Vbi igitur correctus fui? Quando? A quo? &c. Quatenùs uerò trāsit ad uerba *perennor*, & *somnior*, paucis comprehendo responsionem. Dico igitur, nouum non esse, penès Grammaticos, uerba neutra usurpari impersonaliter, in passiua significatione. Et ideo potius cum plausu a doctis leguntur illa Ouidij 12. met. *nunc tertia viuitur ætas*; & epist. *noctes vigilātur amaræ*. Cic. offic. 1. *multa in republica peccātur*, & pro Mur. *pugna acerrima pugnata est*, &c. Cur ergo nō poterit usurpari *funera perennantur*? Ita pariter est notū lippis, & tonsoribus inter grāmaticos, multa esse uerba promiscua, quę modò sūt actiua modò passiua, & modò deponentia, cuiusmodi

ſunt, *æmulo* & *æmulor*: *elucubro*, & *elucubror*: *mæreo*, & *mæreor*: *impertio*, & *impertior* & infinita alia. Cur ergo nō poterit etiam uſurpari promiſcuè *ſomnio*, & *ſōmior*, præſertim cū ita uiderim uſurpatū, penès auctores magni nominis, cuiuſmodi ſūt Perpinianus, Guiniſius, Viues, Moretus, & alij? Melius ergo feciſſes, Aduerſari, ſi tuos errores corrigere conatus eſſes, quibus undiq; ſcatēt tua paucula ſcripta quorū cenſurā referre nō uacat.

DISPVTATIO SECVNDA

De forma, et conceptibilitate entis rationis theologicè conſiderati.

PRobauimus vſque adhuc, omne obiectum cuiuſcunque cognitionis factibilis, eſſe poſſibile, & reale; & ſtatuimus, omnem propoſitionem, ſiue veram, ſiue falſam formaliter, eſſe veram obiectiuè veritate entis, ſeu tranſcendentali. Quia tamen non defuere ex iis, qui doctrinam hanc theologicè impugnantes, illam

illam vt nouam, scandalosam, & hæreticã vocauerint; ideo vt vulgi admirationibus, & aduersantium opportunè clamoribus occurramus, vniuersam doctrinæ huiusmodi seriem, ad theologicam trutinam pensitabimus. Multa igitur hic examinabimus. Primum est, an hæc doctrina de ente rationis, & præcipuè distinctio obiectiuè, *&* formaliter, *sit probabilis, & solida theologicè? Secũdum an habuerit approbatores sub propriis terminis? Tertium an Qualificatores S. Officii Romani illam vt improprium & hæreticam reprobauerint? Quartum, An per illam quidquam derogetur catholicæ fidei, seu numinis vnitati? Quintum an cõtra illam cadat dictũ diui Hyeronimi,* ex verbis inordinatè prolatis incurritur hæresis? *Sextũ an posita doctrina, poterit hæc distinctio omitti, & loco illius adhiberi alia, videlicet* ex parte propositionis, & extremorum? *Et multa alia, prout sese nobis differendi porrigetur occasio.*



disp.54. met. sect. 1 n. 2. Bartholomaeo Mastrio à Meldula, & Bonauentura Belluto à Catanea disp. 2. de ente rat. n. 4. & q. 2. n. 1. qui citant etiam prò hac sententia, Fõsecam 5. met. c. 7. q. 6. sect. 3. Vasq. 1. p. d. 115. & 118. c. 3. n. 2., & 2. p. d. 95. c. 10., Soto quaest. 2. vniuersal., Ornã ibid., Didacum à Iesu disp. 3. log. q. 1., & alios; illamque q. 2. n. 1. vocant *satis famosam*. Praeterea probatur ex Paulo Veneto q. 4. proem. in log., vt referunt Conimb. in praef. Porphir. q. 1. & 6., Arauxo lib. 3. met., q. 1. ar. 2. Ouiedo controu. 12. met. p. 2. n. 2., Ruuio tract. de ente ration. nu. 34. penès Complut. disp. 2. log. q. 1. ar. 2., Erice tract. de scien. Dei disp. 8. c. 1. n. 1. Valesio q. 10. de ente ration. Arriaga disp. 6. met. sect. 2. n. 7. & infinitis alijs, quos ipsi referunt, qui omnes, vel sequũtur hanc opinionem, vel apertissimè fatentur, illam esse probabilem, ingeniosã, à multis propugnatam; adeoque theologicis quaestionibus inserendam, vt catholicae fidei minimè repugnantem, immò fauentem.

Probatur secunda pars primò ex D. Tho. 1. p. q. 25. ar. 3. in corpore, vbi examinans illud Angeli dictum, relatum à

D. Luca c. 1. *non erit impossibile apud Deū omne verbum*, hæc habet; *id quod implicat contradictionem, verbum esse non potest, quia nullus intellectus potest illud concipere*; quod idem est, atque si Angelicus dixerit, *totum illud, quod intellectus cōcipit, est non implicans contradictionem, idest possibile, & reale*, cum ualeat, iuxtà regulas logicas, consequentia, ex negatiua ad affirmatiuam, uariatis terminis, ex finitis, in infinitos. Hoc idem docuerat 1. p. q. 14. ar. 9., ubi examinans, an Deus cognoscat illud, quod non est, respondet affirmatiuè, his uerbis *quæcunque possūt per creaturas fieri, vel cogitari, vel dici, & etiam quæcunque ipse facere potest, omnia cognoscit Deus*. Cum ergo nullus intellectus possit aliud cognoscere, quam possibilia, ut ex ipso nuper probauimus, cōsequens est per D. Thomā, omnia entia rationis, factibilia à creaturis, esse obiectiuè possibilia, & realia, ut pote quæ de facto cognoscuntur à Deo, à quo alioquin cognosci non possent. Dicuntur ergo extrinsecè tantū impossibilia, ut ipsemet ait q. 17. ar. 1. *ex denominatione formali prouenientè à cognitione fingente, & falsa*.

Probatur

Probatur secundò ex Antonio Perez in tractatu de scientia Dei n.87., ubi exponens doctrinam nuper allatam Diui Thomæ, sic ait, *chimæram verò cognoscit Deus, cognoscendo totum id, quod dicit chimæra, quæ cùm nihil sit aliud, quàm compositum ex actu fingendi, & extremis, quorum singula diuisim sunt possibilia, & coniuncta per actum fingendi, inferunt, actum esse essentialiter falsum. Quare cùm Deus cognoscat actum fingendi, qui est ens reale, & extrema, quæ secūdùm se sunt possibilia, patet, cognoscere totam chimærā.* Sed quia Deus non potest actum falsum elicere, statim subdit, *non tamen Deus facit chimæram, quia facere chimæram, est eam fingere; Deus autem non fingit.* Quare per hunc Auctorem, chimæra aliud non est, quàm compositum per accidens, ex actu falso, & extremis realibus.

Tertiò e Sfortia Pallauicino, in assertionib. theolog. lib. 5. qui est de Incarnat. c.1. n.3., vbi ait, *omne obiectum intelligibile est possibile*, quod est in terminis nostra conclusio. Et affert statim rationē, *quia nullum obiectum est intelligibile, quod remaneat impossibile, ex defectu potentiæ diuinæ.* Vnde concludit. *Omne ergo obiectum*

continetur intra sphæram, & diuinæ potentiæ, & diuinæ volibilitatis, atque adeo est possibile: Quod idem confirmat primo n. 7. *cæterùm ex parte obiecti nihil concipitur distinctum ab omni ente reali.* Deinde n. 10. *nullum ergo obiectum est impossibile, respectu Dei.* Et fusissimè probat lib. 8. qui est de Deo, c. 32. per totum.

Probatur quartò ex Felice Maria Inurea, in compendio theologiæ super 1. p. Diui Tho. n. 5. *non est imaginandum* (sunt ipsius verba) *quòd ens rationis sit terminus aliquis, à cognitione fingente, & ab omni ente reali adæquatè distinctus; sed est ens reale, conceptum tamen opposito modo, ac sit in se, ac proinde secunda quædam intentio obiectiua falsa, quæ nihil est aliud, quàm concretum, seu complexum denominatiuum essentialiter, & formaliter, constās ex obiecto ipso reali, & ex cognitione falsā.* Et infra, *essentia ficta hircocerui nihil est aliud, nisi essentiæ reales hirci, & cerui essentialiter inter sese discretæ, & virtualiter contradicentes, quatenùs tamen falsò conceptæ per modum vnius. Vnde cognitio nostra, non est veluti causa efficiens, sed veluti formalis obiecti ficti; Est enim ipsa obiectio, qua obiicitur, & ipsa fictio, qua fingitur.*

Nusquam

Nusquàm tamen propiùs ad rem præsentem, quàm n. 53. vbi ait, *totum id, quod includit essentia entis rationis, & obiecti impossibilis, hoc modò secundò intentionaliter sumpti, totum est perfectè intelligibile, & obiectiuè verum.* Aduertatur hìc ly *obiectiuè verum;* nam illius mentionē infra faciemus.

Quintò ex Episcopo Io: Caramuelle lib. 2. metalogic. de entibus rationis, ita ratiocinante, *entia rationis fabricata ab apprehensione specierum, vt communiter assignantur, sunt chimæra, negatio, relatio. Atqui hæ omnes sunt entitates,* & per consequens reales. *Ergo entia rationis non dantur.* E paulò post *hircoceruus chimæra non est, quoniam hircoceruus possibilis est,* quod fusè probat multis, & ingeniosis rationibus; quas longissimum esset recensere. Videantur in fonte.

Sextò e Stephano Spinulà, in disp. 4. log. ar. 3. n. 33. vbi ait, *omne illud, quod dicitur ens rationis, est ens realissimum, sola nempe talis essentia cognitionis,* ad quod probandum integram, & doctissimam texit disputationem, in cuius fine concludit, *ergo à primo ad vltimum, in intellectu cognoscente chimæram, nihil est intelligibile.*

gibile, quod reale, non sit. Et n. 49. *ens rationis consistit tãtùm in entibus realibus, quia cùm sit formaliter complexum ex naturis, & cognitione, indebite in illas tendente, cũ tàm natura, quàm cognitio sint ẽtia realia, totum ens rationis erit ens reale.*

Septimo ex Philippo Millèr Societatis Iesu, in assertionib. phil. Græcij impressis, & propugnatis à fratre Roberto Schieringer Cisterciensi, sub cap. entis rationis, n. 7. vbi ait, *ens rationis fictum totum est reale, partim extra, partim intrà intellectum, quia omnes partes, totiùs entis rationis ficti, sunt reales, &c.* Et paulò post ibidem, affert exemplum in aliqua propositione, non solùm falsa, sed blasphema, cuiusmodi est hæc, *Deus est peccator*, in quo occurrit illis admirationibus, quas in prima disp. retulimus, ex Aduersario, his verbis, *in hoc ente rationis blasphemo, & hæretico (idẽ dic de aliis), talis Deus dicitur ab hæretico, esse talis peccator, &c.* Et n. 8. *Vnde colliges, in hoc ente rationis* Deus est peccator, *per primas apprehensiones simplices, repræsentari realem Deum, realem aliquem peccatorem vagè, & realem aliquam identitatem, vagè sumptam.* Eccè obiectum materiale adæ-

quatum

quatum illius propositionis falsæ, & nõ illud, quod affert Aduersarius, *Deus non est peccator*, vt videbimus infra. *Deinde* (pergit) *superuenire vel iudicium, vel apprehensionem complexã huius naturæ, qua hæc omnia repræsentetur esse vnum, seu cuius essentia sit repræsentare, identitatem illam realem, esse inter Deum, & peccatorem realem. Et sic manifestè totum hoc ens rationis est reale, partim extrà, & partim intra intellectum, &c.* Videatur locus citatus fusissimè, & doctissimè prosequẽs hanc doctrinam.

Octauò ex Daniele Hainau Societatis Iesu, in floribus phil. in 6. p. met. n. 4. ubi hæc habet, *entis rationis essentia consistit in ipsis obiectis realibus, connotantibus cognitionem, ea aliter ac sunt, tut esse possũt, repræsentantem, quam cognitionem formaliter intrinsecè importat.* Et affert rationẽ à priori, *quia posita tali cognitione, & obiectis, sublato quocũque alio, etiam per impossibile, habetur formaliter ens rationis, & ea non posita, non habetur. Vnde ens rationis non consistit in entitate aliqua ficta, adæquatè contradistincta à cognitione.*

Nonò ex Ferrar. in asſertionib. philos. n. 60. *ens rationis* (sunt verba ipsius) *nõ est aliquid*

aliquid impossibile intrinsecè, & obiectiuè, extra cognitionem, quasi dicat constitutionem, & vnionem, intrinsecam prædicatorũ contradicentium, quæ se inuicem destruant; Hoc enim est prorsùs inintelligibile, sed solũ est aliquid impossibile formaliter, & repræsentatiuè in cognitione, quatenùs ens alioquin reale, ex vi repræsentationis falsæ, cõiungitur cum alio ente reali sibi contradictorio. Ex quo non sequitur impossibilitas aliqua intrinseca, & obiectiua, sed solùm denominatio obiecti falsi, ficti, & impossibilis, ab ipso actu formali componente contradictoria. Quod fusè confirmat, per totum librum.

Decimò ex Oddone de Comitibus, in summa quadripartita, 3. p. q. 8. ar. 2. ex P. Daniele Bartolo in æternit. Consil. c. 1. & ex omnibus alijs, qui publicis expositis conclusionibus, eamdem doctrinam vbique locorum, & gentiũ, vt optimam propugnarunt, cuiusmodi sunt P. Hyeronimus Sauignanus, & Franciscus Maria Gẽtilis, e Societate Iesu, Doctor Gregorius Casanus, frater Io: Chrisostomus Augustinianus, D. Paschalis Farsalia Benedictinus, D. Franciscus Baronius Theatinus, cũ infinitis alijs cuiuscunque

cunque religionis, & ordinis, quos vtiq; pagina, & atramentum deficeret, si omnes, & singulos vellem recensere.

Et demum probatur ex ipsis Aduersarijs, qui tandem aliquando vel inuiti concesserunt, doctrinam hanc, quam vt hæreticam damnauerant, esse optimã, & catholicam, immo velint, nolint, scriptis, libelloque dixerunt, esse ita omnibus communem, & vulgarẽ inter theologos catholicos, vt sit in ore omnium tyronum, & à nullo dãnetur. Vnde obiter infer, quanta mihi per Deum optimum, maximum, bonorum omniũ largitorem, suppetat consolatio, & quàm ingens gestiendi materia ex eo, quòd viderim mearum vi rationum, & auctoritatum pondere, quas adduxi, ita flexos, & domitos Aduersarios, vt nè ridiculi viderentur, ad oppositam planè sententiam abire necesse fuerit. Quamobrem apertam canentes palinodiam, huic nostræ subscripsere conclusioni; Et quod mirum est, in doctrinæ triumphum solidissimę, coram omnibus proclamarunt, esse omnibus notum, non dari ens rationis ex parte obiecti; adeoque *omne obiectum eße possibile, & reale*, qui in con-

conclusionem

clusionē tot annorum decursu, tamquā falsam, nouam, impiam, absurdam, & hæreticam reprobauerant.

Secunda conclusio. *Hæc opinio non est vulgaris, & logica, vt ipsi asserunt, sed difficillima, & metaphysica.* Probatur prima pars, ad hominem contra Aduersarios, quia si esset vulgaris, fuisset facilè ab illis percæpta. Atqui ab his neque in præsentia bene percipitur. Ergo non est vulgaris. Maior est euidens, nisi velimus, dicere vel illos esse rudes ingenio (quod nō ita facilè concedent) vel saltem intrinsecùs rabie exagitatos, rationi aditū minimè præbuisse, eo planè modo, quo fluuius ex imo commotus, crystallinam vndarū diaphaneitatem, limosis fluctibus, auocat ab aspectu. Probatur minor, quia si hi homines bene perciperent tam difficultatis, non ita sordidè errarent in explicanda huiusmodi doctrina, nec sibi toties tā turpiter contradicerent. Quòd autem errent in hac materia, probatur euidenter ex ipsorū opere, quìnquenniū elucubrato. Dicunt primò, *totum obiectū propositionis* (loquendo de obiecto materiali) *esse ipsam propositionem formaliter*, quod sæpe repetunt, nè forte alicui mē-

dum

dium videatur. Vnde facilè arguēti mihi quondā concessit eqrū aliquis, maximā & altissimam turrim Diui Marci, à se, intra suum caput contineri, materialiter, & formaliter, sicut continetur ipsa formalis propositio, quā illam cognoscit. Et quod maius absurdum? Dicunt secūdò, *infinitos auctores veteres, & recentes asserere, totum falsæ propositionis obiectū, esse ipsam formaliter falsam propositionē.* Et quod splendidius mendacium? cùm nullus planè, vel mediocris philosophaster hoc asseruerit, quin immò omnes clamant, propositionem formalem directam, non habere pro obiecto materiali se ipsam, sed aliquid à se distinctū. Dicunt tertiò, hāc propositionem, *equus est rationalis*, facere hunc sensum, *equus vnitus cum rationalitate*, perinde quasi repugnet, equum vniri cum homine, dū hominem vidimus Deo vnitum; Et quis poterit risum cohibere? Prætereà si paulò ante dixerant, hanc eamdem propositionem significare *equum identificatum cū rationalitate*, & ly *est* significare semper identitatem extremorum, quomodo significat eorum vnionem? Scilicet hominem vniri cum Deo, & identificari
cum

cum illo, nullum habent discrimē, penès ipsos; adeoque facilè cōcedunt, hominē factum esse substantialiter Deum, sicut est cum illo substantialiter vnitus, quod expresse negatur à Damasceno lib. 3. c. 2, his verbis *non hominem deificatum dicimus, sed Deum humanatum*. Cùm ergo hominem fieri Deū, sit idem, atque deificari, vt explicat D. Tho. 3. p. q. 16. ar. 7. in littera, sequitur falsissimum esse, immò erroneum dicere, hominem in Christo fuisse Deum factum, alioquin Christus pati nō potuisset, neque ex parte naturę diuinæ, neque ex parte naturæ humanæ iam deificatæ, quæ sunt contra fidem. Errant quartò, dicendo, ly *obiectiuè* applicatum propositioni formali, non esse terminum distrahentem, sed æquiuocū, & improprium; & tamen distrahit sensū à propositione formali ad obiectum materiale, sicut ly *pictus* additū *homini*, facit, vt *homo* non significet amplius animal rationale, sed simulacrum illius. Errant quintò, cum me arguunt, eo quòd *me paratum* dixerim, *ad propugnandam vnitatem Dei, vsque ad sanguinē inclusiuè*, dicentes, apponēdam fuisse particulam *exclusiuè*. Scilicet nō percipiunt vim harum

rum particularum. Ly ergo *inclusiuè* refertur ad principale, nō autem ad accessorium. Cùm ergo ibi sit sermo, de propugnatione diuinæ vnitatis, quę habet rationem principalis, faciēnda per sanguinis effusionē, quæ est illi accessoria, si apponeretur particula *exclusiuè*, significaret animum paratum solùm ad talem confessionem, citra sanguinem faciendam. Ad hoc ergo vt significaretur, animus paratus etiam ad mortem oppetēdam, in illius defensionem, debuit apponi particula *inclusiuè*, per quam scilicet includeretur omnis casus, etiam sanguinis effusionis, & mortis, quod non explicaretur per particulam *exclusiuè*, immò explicaretur oppositum. Et ad summū, quia non vacat, singulos hic eorum errores referre, ex his liceat cęteros conijcere, quibus vndique sunt refertissimæ eorum paginæ.

Probatur secunda pars, videlicet hāc materiam non esse logicam, sed metaphysicam, primò ex ipso nomine entis rationis, quod, vt distinguatur à logico, dicitur metaphysicum. Deinde quia, vt probauimus in logicis, obiectum adæquatum logicæ, sunt operationes intelle-

ctus,

ctus, vt dirigibiles. Sed ens rationis non est operatio vt dirigibilis, sed vt indirigibilis, quia est formaliter falsa, & errãs. Ergo vt talis non est obiectum logicæ, adeoque ad eius considerationem non spectat, vt perperam Aduersarij asserue- re. Spectat ergo ad metaphysicam, cuius est considerare vniuersam entis tractationem, vt ens est, præscindendo in præsentia, an ad illam spectet directè, vt ens, vel indirectè, vt formaliter impossibile?

ARTICVLVS SECVNDVS

An distinctio obiectiuè *&* formaliter *sit propria, & solida philosophicè, & theologicè? Vbi an possit loco illius adhiberi alia, ex* parte extre- morum *&* propositionis? *Et an propositio falsa formaliter, sit vera obiectiuè?*

Parergon septimum.

VSque adeo contra illam inuehitur tota Aduersantium rabida Sinagoga, vt huiusmodi distinctionem infi- nitis

nitis afficiant probris, & demũ vocitent maledictam, putridam, pestiferam, venenіferam, totiusque mundi excidium. Illam scilicet rationibus impugnare non valentes, omni probrorum genere cooperiunt. Vt ergo allatam distinctionem scholasticè defensemus, sit.

Prima cõclusio. *Hæc distinctio est optima, & propriissima philosophicè.* Probatur primò, quia omnis propositio vocalis est signum, non solũ propositionis mentalis, sed etiam obiecti materialis, circa quod illa tendit. Ergo potest accipi modò vt signum vnius, & modò vt signum alterius. Sicut ergo, vt signum conceptus formalis, dicitur proprijssimè *formaliter* accipi, ita etiam vt signũ obiecti, dicitur proprijssimè accipi *obiectiuè*. Secundò, quia ly *formaliter* idẽ sonat, atq; *ex parte conceptus formalis*, & ly *obiectiuè* idem sonat, atque *ex parte obiecti materialis*. Sicut ergo potest optimè distingui quælibet propositio uocalis, *ex parte conceptus*, & *ex parte obiecti*; ita poterit etiam distingui *formaliter*, & *obiectiuè*, & per cõsequens, sicut ex falsitate, seu veritate formali actus, denominatur falsa, seu vera formaliter, ita ex veritate, seu falsitate obiecti,

obiecti, denominatur vera, seu falsa *obiectiuè*. Cùm ergo non possit dari falsitas in obiecto, sed sola veritas transcendentalis, ideò propositio uocalis *obiectiuè*, non poterit esse falsa, sed solùm uera, ueritate transcendentali.

Secunda conclusio. *Omnis propositio formaliter sumpta, siue mentalis, siue vocalis, est vera veritate transcendentali*. Probatur primò, quia ueritas transcendentalis non pugnat cum falsitate formali, ut toties probauimus. Ergo possunt simul copulari in eadem propositione, quæcunque illa sit. Secundò quia omnis propositio, etiā falsa, est formaliter ens. Ergo est uera ueritate entis, idest transcendentali, taliter dicta, quia trāscendit per omne ens. Tertiò quia, ita se habet ueritas transcendentalis ad falsitatem formalem, sicut bonitas physica ad malitiam moralem. Sed hæc est cum illa sociabilis. Ergo etiā huiusmodi ueritas cum falsitate; & per consequens sicut est uera hæc propositio, *omne malum morale est bonum physicum*, ita est uera hæc, *omne falsum formale est verum transcendentale*.

Dices. Ergo poterit eadē propositio

uocalis dici uera duplici ueritate tranſcendentali,ſcilicet ſui,& ſignati.Concedo conſequentiam. Cùm enim ſit ſimul formaliter ens,& ſignum entis,erit uera tranſcendentaliter, per modũ ſubiecti, & per modum ſigni; adeoque non ſolùm propter duplicem, ſed etiam propter triplicem huiuſmodi ueritatem, ſuam nempe,actus,& obiecti.In quo conuenit cũ omnibus ſignis,quibus tot adueniunt de nouo denominationes,quot inſurgũt de nouo ſignata, quod idem dico de relatiuis,&c.

Tertia concluſio.*Omnis propoſitio,etiã falſa,ſiue vocalis, ſiue mentalis ,obiectiuè ſumpta,eſt vera veritate tranſcendentali*. Probatur,quia propoſitio obiectiuè sũpta,dupliciter poteſt accipi,uel ſecundũ ipſius obiectum, uel ita ut ipſa ſit obiectum alterius propoſitionis reflexæ. Sed omne obiectum eſt poſſibile;adeoq; uerũ ueritate entis, ut fuſè uſque adhuc probatum eſt,& omnis propoſitio, ſiue mentalis,ſiue uocalis,etiam falſa,eſt uera ueritate entis, ut patet ex 2. concluſ. Ergo ſiue conſideretur ipſa propoſitio, ut obiectum alterius, ſiue eius obiectũ, ſemper erit uera tranſcendentaliter.

Confirmatur, quia de cuiuslibet propositionis obiecto, quæcunque illa sit, potest formari hoc euidens argumentũ. *Omne obiectum est uerum. Sed obiectũ huius propositionis est obiectum. Ergo est uerũ.* Maior patet ex dictis. Minor est euidẽs, quia est identica. Cùm ergo cõclusio sit in *Darii*, negari non poterit; adeoque omnis propositio obiectiuè sumpta erit uera.

Dices, propositio uera obiectiuè, est illa, cuius obiectum est tale, vt si supponatur existere, verificaret propositionẽ formalem. Sed propositio necessariò falsa non est huiusmodi. Ergo non est vera obiectiuè.

Distinguo primò maiorem, si sermo sit de obiecto formali, concedo; Si de materiali, nego maiorem. Et distinguo minorem, propositio necessariò falsa nõ est talis, vt posita per impossibile existentia sui obiecti formalis, non esset vera, nego; posita existentia solius obiecti materialis, concedo minorem; & nego consequentiam. Ratio à priori est, quia cùm propositio non sit vera ex eo, quòd detur eius obiectum materiale, vt probauimus disp. 1. ar. 2. huius libri, sed ex

eo

eo quòd detur eius obiectum formale, non potest illa maior esse vera, nisi in sẽsu explicato obiecti formalis, alioquin est simpliciter falsa, eò quòd falsò supponat, propositionem verificari per existentiam obiecti materialis. In sensu autem vero, nihil probat contrà nos, quia omnis propositio, quamuis inuerificabilis, est talis, vt si per impossibile, conformaretur cum suo obiecto materiali, (in quo vel consistit formaliter ratio obiecti formalis, vel in illo formaliter inuoluitur) esset vera, & non falsa. Deinde distinguo aliter eamdem maiorem, si loquamur de veritate formali, concedo: si de transcendentali, nego maiorem. Et distincta eodẽ modo minori, distinguo consequens, ergo propositio falsa obiectiuè sumpta, non est vera formaliter, concedo; non est vera trãscendentaliter, nego consequentiam. In quo vehemẽter obstupeo, quomodo aliquis doctus Recentior, concedens absolute, *omne obiectũ est possibile*, faciat difficultatem in hac concedenda, *omnis propositio falsa obiectiuè sumpta, est vera*, posito quòd sit sermo de veritate transcendentali, quæ est proprietas cuiuscunque realitatis. Nam

poteſt adigi ad illius conceſſionem, hoc modo, *idem eſt dicere, omnis propoſitio obiectiuè ſumpta, atque obiectum cuiuſcũque propoſitionis*, vt probatum eſt. Sed omne obiectum cuiuſcunque propoſitionis eſt tranſcendentaliter verum, quia eſt poſſibile, adeoque ens. Ergo, & omnis propoſitio erit vera obiectiuè. Eo planè modo, quo ſi pictura Cęſaris eſt rubra, etiam Cæſar vt pictus eſt ruber, quia ſunt vnum, & idem.

Quarta concluſio. *In materia de ente rationis, ſuppoſito quòd illud obiectiuè negetur, & concedatur formaliter, non poteſt meliùs reſponderi, quàm per diſtinctionem obiectiuè, & formaliter.* Probatur euidenter. Nam ſi aliquis proponat e. g. hanc propoſitionem *equus eſt rationalis*, ſi illa ſimpliciter concedatur, cõcedetur omne ens rationis, adeoque etiam obiectiuũ. Si negetur, negabitur omne ens rationis, etiam formale. Sed vtrumque eſt contra concluſionem. Ergo adhoc vt admittatur formale, & negetur obiectiuum, debet omninò diſtingui in ly *obiectiuè*, & *formaliter*, & nulla alia diſtinctio eſt apta ad hoc idem ſignificandum.

Dices primò cũ Aduerſario (quod iã ema-

emanauit in uulgus)posset distingui, *equus est rationalis, ex parte extremorum, concedo: ex parte propositionis, nego.* Ergo non est necessaria distinctio illa nouissima *obiectiuè*, & *formaliter*. Nego antecedens, in quo nō possū non erūpere in exclamationē, *ò tēpora, ò mores!* Itaneuerò? Hæccine est doctrina tot Magistrorum, Baccalaureorū, Regentiū, Pedagogorū? Hæccine est speculatio illa subtilis, ad quam euocādā in luce, vna omnes quinquennium desudastis? *Ex parte extremorum, concedo: ex parte propositionis, nego?* O dignam enimuerò doctrinam, quæ fastis inferatur magistri Colæ! Adesdum, misello, nam paucis te volo, Aduersariorum princeps, quid quæso te, sibi vult, distinctio ista adeo ingeniosa? Vel accipis extrema formaliter, vel obiectiuè? Si primum; ergo cùm propositio formalis nō habeat partes, & extrema sint identificata cùm ipsamet formali propositione, illud idem, quod affirmas per ly *ex parte extremorū concedo*, negas per ly *ex parte propositionis, nego* adeoque idem simul affirmas, & negas. Si verò dicas secūdū, ergo ly *ex parte extremorū*, est idē atque *obiectiuè*, & ly *ex parte propositio-*

nis, est idem atque *formaliter*, adeoque nostram admittis distinctionem. Vel ergo hæc tua distinctio est inepta, & absurda, vel castigari non potest, nisi reducatur ad nostram, quam vt absurdam impugnas. Deinde nomine extremorum quid intelligis? Vel totum obiectum, vel partem? Si totum. Ergo hoc debuisset à te negari, quia per te est impossibile, & non concedi. Quomodò ergo dicis, *ex parte extremorum concedo*? Si partem, non est ad rem, quia distinctio debet fieri per membra immediatè opposita; pars autē obiecti nō opponitur immediatè propositioni, sed toti obiecto; Debuisset ergo lý *ex parte extremonum concedo*; correspōdere aliud membrum, immediatè oppositū *ex parte totius obiecti, nego*. Sicut enim per te partes sunt possibiles, & totū est impossibilè, ita debuisset membrum cōcessum comprehendere partes possibiles, & membrum negatum, totum per te impossibile. Demum si aliquis tibi diceret, *tu es verus explorator, & Venetam Rempublicam prodidisti*: responderes nè *ex parte extremorum cōcedo*, au *obiectiuè*? Non ergo hæc distinctio potuit adhiberi,

ri, sed alia à me allata.

At mihi videor, te statim respondentem audire, vt respondes de facto alteri simili propositioni cōtrouersæ, nomine extremorum intelligo totum obiectū. Sed totum obiectū illius propositionis, *equus est rationalis*, nō sunt sola extrema, sed hæc alia propositio *equus non est rationalis*. Cùm ergo hæc sit vera, potest bene concedi, *ex parte extremorum concedo*.

Quis crederet vmquam, posse hominem, quamuis non eximium, neque mediocrem in speculatiuis, sed tamen aliqualiter scientijs tinctum, erumpere in absurdum, vsque adeo caballinum (vt cū Satirico loquar) vt nemo vmquam vel ex tyronibus minimus, si cōsulto voluisset errare, turpiùs errasset? Iterum repeto, ut omnes intelligant, *obiectum illius propositionis, equus est rationalis, cui difformatur, est equus non est rationalis*. Per te igitur, iuxta tuam nouam philosophiā, obiectum propositionis affirmatiuæ, est eius contradictoria negatiua? Nulla igitur propositio erit uera, quia nulla conformatur cum sui contradictoria. Si quis igitur tibi dixerit, *absolutus es ab aposta-*

ſia, falſum dixerit, quia ſcilicet hoc eius dictum non conformetur cum hac contradictoria, *non es abſolutus ab apoſtaſia*. Ergo poterit uerè nunc affirmari, quod olim uerissimè affirmabatur, *tu es apoſtata?*

Neque dicas, *ego numquam dixi hoc abſurdum*. Nã loquela tua manifeſtum te facit, & quidquid tibi obieci, continetur in tuo famoſo libello, quod niſi aliquis meus amicus ex illo legiſſet, numquam credidiſſem. Tu locum tacitus recole, dum ego aliũ reijcio tuã reſponſionem.

Dices ſecũdò, nullus philoſophus adhibuit iſtã diſtinctionem; ergo eſt noua, & impropria; & per conſequens meliùs eſt adhibere aliã, *ex parte extremorũ concedo: ex parte propoſitionis, nego*. Nego iterùm antecedens, cuius falſitas patet ex locis ſupra citatis, & præcipuè ex Inurea n. 52., vbi hæc habet, *totum id, quod includit eſſentia entis rationis, & obiecti impoſſibilis, hoc modo ſecundò intentionaliter ſumpti, totum eſt perfectè intelligibile, & obiectiuè verum*. Quare ait, propoſitionem affirmantẽ ens rationis, eſſe impoſſibilem ſecũdò intentionaliter, ideſt formaliter falſam, & veram obiectiuè.

Cùm

Cùm enim in ſententia ipſius, ſola propoſitio ſit illa, quæ includit eſſentiam entis rationis;& id,quod includit eſsētiã entis rationis,ſit formaliter impoſſibile, ideſt formaliter falsũ, & verum obiectiuè,ſequitur, quòd eadem propoſitio ſit falſa formaliter,& vera obiectiuè. Eodē modo loquitur Ferrarius n. 67.cum alijs omnibus, quorũ verba fusè refert apologia, & hìc repetere non vacat. Quare ijs omiſſis, quandoquidem tanti Aduerſarius facit ſuam reſponſionem, quam inuenere vigiliæ quinquēnales,tot ſimul cũ ſocijs adhibitis collationibus, & conciliabulis; Ideo ad illam curſim oculos conuerto. Quid ais, Aduerſari? Aſſeris, quòd ſi aliquis tibi proponeret hãc propoſitionem, *aliud Verbum diuinum, eſt incarnatum*, & tu propugnares meam opinionem, negantem ens rationis obiectiuum,non poſſes meliùs reſpondere, quàm diſtinguendo *aliud Verbum diuinũ eſt incarnatum, ex parte extremorum, concedo,ex parte propoſitionis,nego?* Si ego ita de facto tuæ propoſitioni reſpondiſſem, ſexcentiès vt hæreticus à te accuſatus eſſem. *Ex parte extremorum,concedo?* Et quænam ſunt extrema huius propoſi-

 tionis,

tionis, *aliud Verbum diuinum est incarnatum*? Si nescis, consule tuum Arriagam, & dicet tibi, *aliud Verbum diuinum* esse subiectum, & *incarnatum* esse prædicatū. Tu ergo concedendo propositionem hanc, secundùm extrema, concedis aliud diuinum Verbum, ex parte subiecti. Ergo es hæreticus. Vides quorsùm te deduxerint tui complices? Vides quàm sit inepta tua isthæc toties à te inculcata distinctio? Acquiesce igitur meæ distinctioni; nè sensim sine sensu, dum verborum vitas impropríetatem (vt ais) in hęresim infæliciùs prolabaris. Vt autem adhùc meliùs, & clariùs pateat, distinctionis integritas meæ, esto

Quinta conclusio: *Hæc distinctio obiectiuè & formaliter, in subiecta materia non solùm non est contraria catholicæ fidei, sed est illi potiùs maximè fauorabilis.* Probatur euidenter ex dictis, quia in subiecta materia, hęc distinctio supponit nullum esse conceptibile obiectum, quod reale nō sit. Ergo siuè applicetur alterius numinis possibilitati, siue alterius Verbi diuini incarnationi; neque multiplicat deitatem, neque numerum auget personalitatum; immo potiùs, in personarū augustis-

augustissimæ Triadę, diuinissimæ essentiæ confirmat vnitatem. Probo consequentiam. Quicunque dicit, propositiones affirmantes, vel deitatis, vel diuini Verbi multiplicabilitatem, esse formaliter falsas, & solùm veras obiectiuè, ex vna parte reprobat dicta, (quæ ait falsa, & impia) adeoque facit se immunem censura qualibet theologica; & ex alia, Deorum, seu diuini Verbi pluralitatē, neque admittit actu existentem, neque physicè possibilem, immo neque concceptibilem. Siquidem *horum iudiciorum obiectum, non ait esse pluralitatem aliquam obiectiuam diuinorum Verborum, seu deitatum fictarum*, ut somniat Aduersarius, *sed verum Verbum, & veram Deitatem*, vt loquitur supradictus Inurea n. 50. cum vera rerum alietate, & possibilitate; necnon Diuini Verbi incarnatione, quę omnia per actus illos falsos componit intētionaliter. Ergo maximè fauet tam deitatis vnitati, quàm eiusdem personarū ineffabili Trinitati. Probo euidenter cōsequentiam. Quicūque oppositam tenet sententiam, de ente rationis obiectiuo, quamuis non admittat, vt physicè existentem tam actu, quàm potentia diuini

Verbi,seu deitatis multiplicabilitatem, illam tamen admittit obiectiuè; At hæc mea doctrina huiusmodi multiplicabilitatem non solum excludit ab omni statu physico, siue actuali, siue possibili, sed etiam ab omni statu merè obiectiuo. Ergo magis cum illa pugnat,quam quælibet alia siue opinio, siue distinctio opposita excogitabilis.

Dices,excludere aliquid a statu merè obiectiuo,est illud includere in statu realitatis. Sed hæc doctrina excludit huiusmodi multiplicabilitatem à statu merè obiectiuo. Ergo illam includit in statu realitatis,adeoque illam facit possibilẽ, & realem,quod est erroneũ.Nego maiorem,quæ solùm valet in contradictorijs, cuiusmodi nõ sunt *status merè obiectiuus*, & *realis*,qui sunt vnum, & idem, vt fusè probauimus in prima huius libri disputatione.

Vrgebis,*esse reale*,& *non esse reale*,sunt formaliter cõtradictoria.Sed status realitatis dicit *esse reale*, & status merè obiectiuus dicit *non esse reale*. Ergo dicunt formaliter cõtradictoria; & per conseq. ex negatione vnius, valet consequentia ad affirmationem alterius. Respondeo,

hoc

hoc argumentum esse insolubile, in sententia admittēte ens rationis obiectiuū; At in mea illud negāte, nihil planè probat. Ratio est clara, quia cùm omne obiectum sit reale, ratio obiecti vt sic, non potest inuoluere oppositum totius realitatis. Vel ergo nomine status merè obiectiui, intelligitur aliqua cognitio, cuius obiectum non sit reale; vel præcisè consideratur ratio obiectiua, præsciundendo ab omni siue realitate, siue non realitate. Si primum, falsum est, dari huiusmodi statum obiectiuum; adeoque negatur minor, quoad secundam partē, tamquam propositio de subiecto non supponente, eò quòd nullum sit obiectū, cui tantùm conueniat status obiectiuus, idest cognosci, & nullum aliud habeat, vel actu, vel potentia prædicatum reale. Si verò dicatur secundum, distinguo secundam partem minoris, status merè obiectiuus dicit nō esse reale intrinsecè, & obiectiuè, nego: dicit extrinsecè & denominatiuè, à cognitione falsa, debitè in extrema realia tendente, cōcedo minorem. Et deinde nego, vt euidenter falsam, etiam consequentiam.

ARTI-

ARTICVLVS TERTIVS.

An distinctio obiectiuè, & formaliter *fuerit, tamquam impropria, & hæretica Romæ* [illegible] *& An contra illam cadat, dictum Diui Hyeronimi*, ex verbis inordinatè prolatis incurritur hæresis? *Vbi examinabitur, an ex impropriectate aliqua logica, seu grammaticali, incurratur formaliter hæresis.*

Parergon Octauum.

NIhil est solemnius penès Aduersarium, & nihil frequentiùs repetitur, quàm distinctionē huiusmodi fuisse Romæ, à supremis librorum censoribus reiectam vt impropriam. Ex quo infert, illam esse quoque vt hæreticam reijciēdam, iuxta dictum illud celeberrimum, Diui Hyeronimi, *ex verbis inordinatè prolatis incurritur hæresis*, quod vbique toties repetit, & adeò ineptè, vt à nemine audiuerim potuisse, sine stomaco legi, tam insulsum, & puerilem modum argumentādi. Vt igitur appareat doctrinæ soliditas, & imbecillitas imposturæ;

tria

tria hic in examen vocabo. Primum est, an ex improprietate quacunque logica, vel grammaticali, in rebus fidei, sequatur necessariò formaliter hæresis? Secũdum, an Romani Censores verè illam vt impropriam reiecerint? Tertium, an verè cadat in illam dictum D. Hyeronimi *ex verbis, &c.*

Prima cõclusiò. *Ex improprietate purè logica, siue grammaticali, in materia fidei, non potest incurri formaliter hæresis.* Probatur primò, quia de facto Romani Censores multas doctrinas approbãt, vt veras theologicè, adeoque vt immunes ab hæresi, quas tamen censent logicè improprias, immo multæ sunt propositiones de fide, quę barbariem redolent grãmaticalem, vt infrà probabo. Non ergo censura theologica potest cadere, supra puram logicam improprietatem, alioquin idem esset hęreticum, & catholicũ, quod est absurdum. Secundò quia obiectum formale theologiæ, non est logicæ obiecto subordinatum. Ergo hæc nihil habet cum illa commune. Consequentia tenet. Probatur antecedens, quia logica est de obiecto naturali, & theologia de reuelato. Probatur tertiò à posteriori, quia

quia alioquin quicunque cum Galeno syllogizaret, in rebus fidei, tot hæreses admitteret, quot faceret syllogismos in quarta figura, quam omnes aiunt logicè impropriã. Prætereà omnes syllogismi, circa mysterium Trinitatis, quia pugnant cũ illo principio, penès logicos, euidẽtissimo, *Quæ sunt eadẽ, &c.* vt improprij, & absoni, essent hæretici. Quare hæreticũ esset negare hanc consequentiam, *Pater est idem cum natura diuina, filius est idem cum natura diuina, ergo Pater est idem cum filio,* quia videlicet per talem negationẽ incurritur improprietas logica. Non valet igitur consequentia in rebus fidei, *hoc est improprium logicè, ergo est hæreticũ.* Idem dico de improprietate grammaticali. Quis enim vt hæreticũ damnaret, quicunque diceret, *moriens in gratia, consequetur Cæla,* loco dicẽdi Cælos? vel *Spiritus Sanctus, instar linguas, descendit super capites Apostolorum,* loco dicendi, *instar linguarum, descendit super capita, &c.* vel *carnem, quàm dedit nobis Deus, mortalis est,* loco dicẽdi *quam carnem,* & alias huiusmodi improprias loquẽdi formas adhiberet, dummodò rectam haberet mẽtem, neque vllo theologico errore vitiatam?

tam? Profectò huiusmodi hominem, nemo vnquam censeret hæreticum, nisi fortè cum Caluino sentiret, quem prò se refert Aduersarius, dicentem, *sibi nõ placere receptam vulgò precandi illam formulam, sancta Trinitas vnus Deus miserere nobis, quia barbariẽ redolet.* Si enim quæratur ab ipso, quid sit in tali formula barbarum? respondebit illicò, improprietatem illam grammaticalem, *sancta Trinitas vnus Deus*, eo modo, quo impropriè loqueretur, quicunque assereret de triumuiris, *potentissima Trias, vnus princeps, confer mihi hoc beneficium.* Tum sic, improprietas hæc grammaticalis, damnatur à Caluino, & approbatur ab Ecclesia catholica, & Romana. Ergo quicunque damnat vt hæreticam, quamcunque grammaticalem improprietatem, sentit cũ Caluino, & dissentit Ecclesiæ. Sed quicunque sentit cum hæreticis, & dissentit Ecclesiæ, est hæreticus. Ergo omnes huiusmodi Aristarchi, seu reprobatores, sunt hæretici. Vides igitur, Aduersari, quid probet tuus iste modus argumentandi? Quamuis igitur concedatur, meam hanc distinctionem esse logicè impropriam, adhùc tamen ex hoc
non

non probatur, illam esse hæreticam, vt pessimè intulisti.

Secunda conclusio. *Hæc distinctio* obiectiuè, *&* formaliter *non fuit habita vt hæretica, & impropriè theologicè, à Qualificatoribus S. Officij Romani, sed potiùs ab illis, & à multis aliis præclarissimis theologis, fuit approbata sub propriis terminis, vt immunis ab omni censura theologica.* Ad hoc probandum, rescribo fideliter eorũ approbationes, quas Notariorum fide signatas, ipse etiã vt verissimas, admittit Aduersarius. *Supposito quòd probabiliter negetur, posse fieri ens rationis metaphysicũ, ex parte obiecti, & solùm concedatur, fieri posse per indebitum modum tendendi in extrema realia, componendo videlicet intentionaliter ea, quæ sunt in se diuisa, vel diuidendo ea, quæ sunt in se identificata. Hoc, inquam, supposito, cuiuscũque propositionis obiectum, quamuis falsæ, & inuerificabilis, erit verum, & reale. Neque enim hæc propositio* homo est equus *e. g. aliud attingit ex parte obiecti, prẹter hominẽ, & equũ, cuius est significet, non obiectum, sed ipsum actum compositiuum vtriusque extremi. Ex quo elicio, hanc propositionem, alius Deus est possibilis* (cuius loco ego semper in posterum

posterùm ponam hanc aliã, illi similem, in qua est maior difficultas in re præsenti, videlicèt *aliud Verbum diuinum est incarnatum) quamuis formaliter sit falsa, & impia, adhùc tamen obiectiuè esse veram, idest totum eius obiectum esse verum transcendētaliter, quod est proprium solius entis realis, eo quòd vtrumque extremum sit aliquid possibile, & reale. Quod idem assero de his aliis propositionibus; Verbum est creatura, Deus non existit, datur negatio, Dei & aliis huiusmodi.* Hęc est summa totius cōtrouersæ doctrinæ quam Romā aliquot ab hinc annis, misi qualificandam. Vnde obiter infer primò, propositionem disputatam non fuisse illam reflexam, quā ipse comminiscitur, *hæc propositio, aliud Verbum diuinum est incarnatum, est propositio falsa & hæretica*; sed aliam directā, quam mox retuli. Secūdò totam doctrinam de ente rationis fuisse odiosam Aduersário. Tertiò nunquam fuisse negatū à me, propositiones illas esse formaliter falsas, & impias. Venio nunc ad

APPROBATIONES

Qualificatorum S. Officii Romani.

Approbatio prima. *In hac doctrina*, (scilicet propositiones dictas, esse formaliter

maliter falsas, & veras obiectiuè) *nihil theologica censura dignam video.* Quid dicis Aduersari? Ecce approbatam theologicè distinctionem, *obiectiuè*, & *formaliter*; *nihil theologica censura dignũ video.* Et deinde pergit, *Quin in eo quòd asserit, propositionem falsam, & inuerificabilem habere obiectum verũ cui ex hoc ipso, quòd difformatur falsa est, verum omninò dicit;* Ecce approbatam philosophicè vniuersam doctrinam de ente rationis, quod *omne obiectum sit possibile, & reale*, quæ est ipsissima ipsius approbatoris doctrina, vt retulimus supra, *verũ omnino dicit.* Quia tamen optimè sciebat doctissimus vir, hanc esse doctrinam difficilem, & superantem captum Aduersarij, aliorumque eiusdem notæ philosophantium; Ideo eorum clamorum, & fortasse etiã ruditatis, nõ inscius, concludit, *quamuis videri possit improprius modus loquendi logicè. Ita censeo D. Stephanus Spinula Congregationis Somaschæ Qualificator Sancti Officii Romani.* Ecce totam improprietatem, quam Aduersarius millies repetit, fuisse notatam in tali modo loquendi, à Romanis Qualificatoribus, *quamuis videri possit improprius modus loquẽdi logicè.*

In

In primis hic est vnus tãtùm ex quinque Qualificatoribus, non omnes, cum alij quatuor absolut doctrinam approbẽt, vt mox referam. Deinde hic cum facit mentionem improprietatis, nõ loquitur *theologicè*, sed *logicè*, alioquin sibi cõtradiceret. Tertiò non dicit absolutè esse improprium dicẽdi modum, sed *videri*, neque hoc etiam absolutè, sed cum addito *possit*. Quare si interrogetur, cui nã videri possit improprius modus loquẽdi logicè? respondebit vtique, non sibi, qui hãc doctrinam vt suam, in suis libris apertè docuerat, & vt verissimam approbauerat; non viris doctis, qui omnes clamant, illam esse doctrinam ingeniosam, & solidam, sed tibi, Aduersari, qui rei subtilitatem non percipis; sed omnibus ijs, qui tecum sentientes, illam vt hereticã damnauere. Quare ex ista prima approbatione, nulla potest verè deduci sermonis improprietas ab Aduersario. Sed multò minùs potest deduci ex alijs, ut mox patebit. Ergo, &c.

Approbatio secũda. *Hanc doctrinam, modo supradicto explicatam, non video habere cẽsuram theologicam. Ego frater Paulus Lucchinus, Procurator, nunc autem præ-*

positus

positus Generalis, totius illustrissimi ordinis Eremitarum S. Augustini, & Qualificator S. Officii Romani. Quid dicis ad hanc approbationē, Aduersari? Ait nè, esse modum dicendi improprium obiectiuè, & formaliter, an tuam esse improprijssimā censurā optimę doctrinę, quam numquā intellexisti? Audi iterum, *non video habere censuram theologicam*. Est nè fortasse hic auctor prestantissimus, Religionis illustrissimæ antesignanus, est ne inquam, unus ex illis approbatoribus huius doctrinæ, quos tu uocas ignorantes, bubones, dignos, qui tua scutica uapulent, & doceantur à te grammaticam, quā unicè pueris, ex professò, semper ut pedagogus, non domi tuæ, quam numquam habuisti, sed domi alienæ, subalterius potestate, uenalem explanasti?

Approbatio tertia. *Cēsco supradictam propositionem, præfato modo explicatam, non esse censura theologica dignā. Ego Hyeronimus Arl Carmelita, sacræ theologiæ magister, & Qualificator S. Officii Romani*. Et hic quid dicit Aduersari? Si essem tui similis, dicerem, te ab hoc insigni magistro, ut splendidè mentientem, redargui mendacij inexcusabilis. Quia tamen ma-

la-

lo, te quamuis totius urbanitatis expertem, ex me urbanos mores addiscere, quàm me tuam sequi inurbanitatem; ideo à probris abstineo.

Approbatio quarta. *Idem censeo ego Thomas del Bene Clericus regularis Patrũ Theatinorũ, Qualificator S. Romani Officii.*

Approbatio quinta. *Idẽ censeo Sfortia Pallauicinus Qualificator Sanctæ supremæ Inquisitionis Romanæ, & in Collegio Romano Societatis Iesu, Generalis studiorum præfectus.* Noscis ne, Aduersari, geminos hos postremos approbatores? Duo lumina scias, non minùs Ordinum præclarissimorum, quàm totius litteratæ Reipublicæ, queis integram texere panegerim, idem est, atque simpliciter singulos nominare. Dicũt nè isti, esse impropriũ, hęreticumque modum loquendi, an potiùs cum Tertio sentiunt, cui absolutè subscribunt? Quid ergo toties repetis, distinctionem meam, ut impropriam, & hęreticam reprobari à Qualificatoribus S. Officij? Itaneuerò, quam illi absolutè præbent approbationem amplissimam, tu pessimus crabro, ut reprobationem interpretaris? Quid fecisses, si uerè illi doctrinam reprobassent? Tuque lector

benigne

benigne, disce hinc quam fidem mereatur in alijs dictis, ille, quem in his, tam splendidè mentientem deprehendisti.

Priusquam tamen ad alia transeam, non possũ nõ ita cũ Aduersario ratiocinari. Vel tu æstimas, huiusmodi Qualificatores, uel non. Si nõ æstimas, cur ex illorũ iudicio tot cies turbas, tot elicis cõsequẽtias? Si ęstimas, cur unius iudicium aliorũ quattuor iudicio pręfers? Cur illũ eumdem, qui doctrinam (ut ais) taxauit, tamquam logicè impropriam, illã theologicè, ut catholicam approbantem non audis? *in hac doctrina nihil theologica censura dignum video, &c. Quamuis videri possit logicè impropria.* Hoc secundum dictum, uidelicet *doctrinam videri logicè impropriam*, non potest secum trahere hæresim, alioquin repugnaret primo *nihil theologica censura dignum video*, quo illam eximit ab omni hæresi. Vel ergo tu, Aduersari, pessimè philosopharis; uel facis Qualificatorem pessimè theologizantem. Quid dicis? Primum negas. Ergo secundum concedis; Et ideo tuum dictũ est illi e diametro contrarium. Nam tu ais, hæc *doctrina est hæretica*; & ille ait, *hæc doctrina non est hæretica*. Ergo tu

contra.

contradicis Romanis Qualificatoribus. Tu ergo es hæreticus, qui repugnas doctrinæ Romæ approbatæ. Tu es maledicus, & temerarius in sacrosanctum Inquisitionis Tribunal, qui ausu temerario, illius doctrinam respuis vt hereticã. Ita nè quod illius iudices, & censores vt Catholicum approbant, tu solus reprobas vt hæreticũ? Ita fecit Lutherus, quãdo Vormatię anno 1521, incępit euomere suum uirus. Nam doctrinam Romæ approbatam de indulgentijs, ille vt hæreticam, & impiam respuebat. Solatium igitur accipe, me tui similem numquam fuisse. Nã si essem, profectò sanctissimæ Inquisitionis carceres non euaderes.

Tertia conclusio. *Dictum illud D. Hyeronimi, ex verbis inordinatè prolatis incurritur hæresis, non est applicabile ad nostram distinctionem, adeoque impertinenter affertur ab Aduersario*. Probatur, quia illud dictum potest dupliciter accipi, nempe materialiter, & formaliter. Si materialiter, significat materialẽ deordinationẽ, seu inuersionem verborum, cõtinentem aliquam falsitatem, repugnantem articulis fidei nullatenus tamen ad illam voluntate consentiente, sed potiùs decepta

per intellectum malè repræsentantem, ex ignorantia, vel inaduertentia oppositum præcipiente, vt contingit in rusticis, & ignaris alicuius idiomatis. Nā hi volentes vnum explicare, aliud nolētes explicāt. Cuiusmodi esset, si quis volens dicere, *Deus homo, mortuus est*, diceret, *Deus mortuus, est homo*, ita vt ly *mortuus*, in secunda propositione, cadat supra Deum simpliciter, de quo mortuo affirmetur homo, cùm potius ly *mortuus*, deberet cadere supra totum, seu compositum, resultans ex homine, & Deo, vt cōtingit in prima. Ita etiam siquis diceret, *Septē Ecclesiæ, sunt sacramenta*, loco dicendi, *sacramenta Ecclesiæ sunt septem*, transferendo numerum septenarium, qui est proprius sacramentorum, ad ipsam Ecclesiam, illam multiplicando. Si verò accipiatur formaliter, significat deordinatam verborum prolationem ex deordinatione intrinseca voluntatis, illam præcipientis, malè dispositæ circa res fidei, quæ deordinatio consistat in verborum difformitate, seu cōtrarietate ad catholicam veritatem; cuiusmodi sunt omnes blasphemiæ, & propositiones hæreticæ, seu impię. Prima deordinatio, constituit

hæresim

hæresim materialiter; & secunda constituit hæresim formaliter, eo quòd in prima non interueniat consensus internus volũtatis, adeoque nõ fiat peccamin(?) sè, quod est necessariũ ad hæresim formaliter, sicut interuenit in secũda. Hoc posito, in casu nostro neutra reperitur deordinatio. Ergo impertinēter hoc dictum vsurpatur. Probo antecedens, Nam qui dicit, *hæc propositio, Spiritus Sanctus est incarnatus e.g. quamuis formaliter sit falsa, & impia, est tamen vera obiectiuè, veritate transcendentali*, non habet deordinatiõnē verborum materialem, eo quòd verba menti correspondeant, & hæc correspõdentia nullam violet fidei veritatem, vt mox patebit. Neque habet deordinationem formalem. Nã hæc si esset, maximè reperiretur in consensu, ad veritatē formalem illius partis, *Spiritus Sanctus est incarnatus*. Sed in hoc non reperitur, eò quòd consensus præstitus, circa veritatē transcendentalem obiectiuam, quæ de illa conceditur, non tollat consensum, circa eiusdem veritatem formalem, quæ de illa negatur. Ergo tantùm abest, vt affirmetur, illam partem esse formaliter verã, vt potiùs asseratur, esse formaliter

 falsam,

falsam,& impiam. Nullā igitur continet deordinationem. Confirmatur, quia vel hoc dictum *Spiritus S.&c.* accipitur formaliter, & erit hæreticum, non propter inordinatā verborum prolationem, sed propter modum tendendi, essentialiter contrarium catholicis veritatibus; Vel accipitur obiectiuè, & tūc quia eius obiectum nullam continet falsitatem, nullā quoque hæresim continet, quæ est formaliter falsitas, vt probauimus ex eius definitione, in lib. 2. adeoque neque erit hæreticū, ex inordinata verborum prolatione, neque ex cōtrarietate catholicę veritati. Ergo à primo ad vltimum ineptè, & absque vlla ratione, distinctionem nostram supra relatā, dicto illo Hyeronimi, ad nauseā vsq; infinities repetito, labefactare contendit Aduersarius.

Quarta conclusio. *Hæc definitio obiectiuè, & formaliter, applicata ad propositionem illam controuersam, fuit approbata, vt immunis ab omni censura theologica, immo vt valde probabilis, & optima ab innumeris theologis, tum Romę, cùm Venetiis, & in celeberrimis totius Europæ academiis.* Ad probandam hanc conclusionem, opus esset verbatim rescribere, nobilissimas

appro-

approbationes, quas habui, quarũ multas recenſet apologia. Verum nè codex creſcat in immenſum, aliquas paucas placet ſeligere ex iis, quas habui ex Vrbe Roma, catholicæ veritatis magiſtra, & ex Vrbe Venetiarum, vbi accidit controuerſia. Eadem ergo doctrinę ſumma, quam nuper attulimus, approbatam à ſupremis cenſoribus S. Officij Romani, in qua aſſeritur, *hæc propoſitio, aliud Verbum diuinum eſt incarnatum, quamuis ſit formaliter falſa, & impia, adhuc tamen obiectiuè eſt vera*; Eadem, inquam, cõtrouerſæ doctrinæ ſumma, præter dictos Qualificatores, ita Romæ ab alijs primę notæ theologis approbatur.

APPROBATIONES *Romanæ.*

Hanc doctrinam, modo ſupradicto explicatam, non video habere cenſuram theologicam. Ita cenſeo ego Magiſter fr. Hyeronimus Valuaſorius Mediolanenſis, Ord. Erem. S. Auguſtini, Regens Romæ, & nunc Procurator Generalis totius Ordinis.

Idem omnino cenſeo ego Martinus de Eſparza, Societatis Ieſu, in Collegio Romano lector theologiæ.

Ego exiſtimo, hanc doctrinam modo ſu-

prædicto explicatam, nihil censura dignum continere. Ego D. Felix M. Inurea Congreg. Somaschæ Romæ, in Clementino lector theologiæ.

Idem prorsus censeo ego Io. Baptista Giattinus Societatis Iesu, olim in Collegio Romano theologiæ lector, nunc autem generalis studiorum perfectus.

Idem censeo etiam ego Io. Baptista Rossius Societatis Iesu, olim theologiæ lector, & nunc librorum censor pro Italia.

Non video quomodo possit vt hæretica qualificari, doctrina iam Romæ famosa, à celeberrimis Romani Collegii magistris propugnata, & maximè innixa principiis Diui Thomæ.

Ego Nicolaus Maria Pallauicinus Soc. Iesu, & in Collegio Romano theologiæ lector.

His, vtpote primarijs totius Vrbis, & vt ita dicam, Orbis theologis, infinitus theologorum numerus, vnus post aliũ, certatim subscripsere, vt innuit apologia. Missos hic ego facio Mediolanensium, Ticinensium, Parisiensium, Perusinorũ, Salmaticensium, Conimbricensium, aliarumque scientiarum Vniuersitatum, ferè totius Europæ, approbationes multas, & nobiles.

nobiles alibi recensitas. Venio ad aliquas ex Venetijs.

APPROBATIONES *Venetæ*.

Ego infrascriptus, verbo veritatis attestor, supraditiam propositionem (vides quomodo approbet doctrinā sub proprijs terminis uidelicet? Supradictā propositioné, hæc propositio, aliud Verbū diuinū est incarnatū est vera obiectiuè, quāuis formaliter sit falsa, & impia) *modo explicato nihil dissonum philosophiæ, aut fidei continere, immo im [illegible] esse opinionē in philosophia probabilissimā, quā sequūtur nedùm plures ex doctoribus veteribus, verùm etiam illustriores nostræ ætatis philosophi, ac theologi* (quid dicis Aduersari? Audis quot sequaces habeat hęc doctrina?) *quibus licet in explicata philosophicæ doctrina sim contrarius, non sum tamen adeo audax, vt eorum opinionem, veluti improbabilem damnare præsumā, immo ipsam vt valdè probabilem veneror, eaque posita, prædictam propositionem verissimū sensum habere. Quare qui illā, vt hæreticā, vel improbabilem damnare audeat* (audi, Aduersari, nam tecum loquitur Auctor hic præstantissimus) *nè dum temeritatis, veriū*

etiam ignorantiæ notam meretur. In quorũ fidem ego fr. Alphonsus Laurenti, Ordinis Heremitarum D. Augustini, in Conuentu D. Stephani Venetiarũ Regens, manu propria, & nunc Prouincialis Prouinciæ Venetæ.

Ego infrascriptus, sincera animi veritate, & pleno mentis cõsilio testor, supradictã doctrinam, prout explicatur, (uidelicet illã propositionẽ falsam, *aliud Verbum, &c.* obiectiuè) *esse probabilem, & in re nihil continere cõtra fidei sacrosanctæ dogmata, &c. Ita censeo ego D. Vitalis à Parma Casinensis sac. theol. D. & lector in monasterio S. Georgii Maioris Venetiarum*; & nunc lector in illustrissima Bononiensi Vniuersitate.

Cẽsura aliqua seu philosophica, seu theologica non censeo dignam, doctrinam traditam de ente rationis, &c. Ex quo talis propositio, aliud Verbũ diuinũ est incarnatum, *obiectiuè transcendentaliter est vera, & formaliter omnino denominãda est falsa. Immo nuper huiusmodi decisionem typis mandaui, & publicè sustinui. Ego D. Petrus Francisci Barotyrius Placentinus C.R.S.T. R. Venetiis* in Cenobio S. Nicolai Tolentinatis.

Ego infrascriptus, in verbo veritatis affirmo.

firmo, supradictam propositionem (aliud quomodo omnes illam nominent, sub proprijs terminis?) *iam supra explicatā, nullam inuoluere obiectiuam implicantiā, si modo iam exposito intelligatur.* (attēde, & confundere) *Reuera enim tota ratio eius obiectiua vera est, quamuis formaliter, & in se accepta sit falsa. Hoc quidem censeo, pro certo debere admitti ab omnibus bene philosophantibus.* Tu igitur, Aduersari nō bene philosopharis, quia hanc doctrinā non admittis; *neque enim sacr. s dogmatibus repugnat, neque catholicæ veritati, si ipsa bene ponderetur, & sensu iam dicto intelligatur.* Poteratnè distinctiùs singula approbare? *Immo puerile censeo* (tecūm loquitur, Aduersari, qui planè pueriliter, illam uociferando blasphemas) *puerile censeo, hanc opinionem damnare, & improbabilem esse dicere. Vnde dico, veram esse, & vt talem assirmo. In quorum fidem ego fr. Bartholi Rosa, sac. theol. prof., atq; actualis, in Conuentu Sancti Francisci Vineæ, Venetiarum lector.*

Ego infrascriptibns, &c. sincerè fateor, propositionem illam aliud Verbum, &c. *supposita doctrina, quam præclari nominis theologi, & philosophi admittunt, cui im-*

probabilitatē inurere, hominis erit audacis, data explicatione, esse concedendam, nec à peritis, re ipsa viris, ac in metaphysicis subtilitatibus versatis negari posse, licet maximè cum distinctione, scilicet obiectiuè, corā vulgò proferenda. Quare qui illam vt fidei aduersantem, vel improbabilem censeret, omnino inter pauca respicientes (audi nam tecum loquitur Aduersari) adeoque facilè pronuntiantes recēseri posset. Ego Iul. Clem. Scot. C. Plac. in Patauino Gymnas. super. annis philosophiæ, & deinde canonici iuris professor.

Cùm author hanc propositionem, aliud Verbum, &c. falsam, & impiam censeat, & tantummodò dicat (audi, quæ fuerit mea assertio, à uiro integerrimo, totiusque controuersæ doctrinæ cōsultissimo) quòd si aliquis illam concipiat, & proferat, hic re ipsa non concipiat totum vnitum, sed tantùm extrema, copulare se tenente ex parte intellectus malè vnientis; proindeque obiectum, quòd concipitur, esse aliquid reale, & verum transcendentaliter. Hęc assertio nullam meretur censuram. Quin diuinæ vnitati multùm fauet, quia non modò negat, alium Verbū esse possibile, sed etiam concipi posse. Ita censeo ego fr. Antonius Cottonius tertii Ordinis.

Ordinis S. *Francisci*, sacræ theologiæ Magister, & doctor, & in Patauino Gymnasio publicus metaphysicæ lector:

Ego infrascriptus, sincera animi veritate attestor, supra allatam doctrinam probabilissimam esse, nec quidquam fidei repugnās elicitam propositionem, scilicet aliud Verbum, &c. modo explicato, nempe obiectiuè (Quid est hoc Aduersari, nisi te vt mendacem asserere?) *nempe obiectiuè cōtinere. Quapropter non nisi ignoranter* (audi salutationem tibi debitam) *vt hæretica, vel improbabilis damnari potest. Ego fr. Antonius Maria Venetus, theologiæ Vineæ Venetiarum lector, in fidem subscribo.*

Ego D. Paschalis Venetus Monachus Casin. in D. Georgii cænobio philosophiæ, nūc autem in Cenobio S. Iustinę Patauij, etiā theologiæ lector, *tota cordis sinceritate testor, propositionē al. ud Verbum, &c. esse tam philosophiæ, quàm theologiæ consentaneam, itaut qui aliter senserit* (ad te sermonem conuertit, Aduersari) *tamquam haud veris philosophiæ, theologiæque dogmatibus consentiens omnino sit reiiciendus. In cuius fidē hæc manu propria scripsi, &c.*

Ego infrascriptus, audita publica explicatione (aures aperi, Aduersari, nam hic

nos solùm approbat distinctionem, sed illam asserit à me datam, quam ipse, publica fama per Vrbem volitante, sæpiùs audiuit) *ac priuata, supradictæ propositionis, iudico, nullam penitus continere dissonantiam, & hanc illius doctrinam, &c. esse innumeris theologis, ac philosophis consentaneam.* Non ergo est noua, mei soliùs propria. *Ita est fr. Antonius Gagliardus Ord. Erem. S. P. August. in Conuentu D. Stephani Venetiarum Regens.*

Idē prorsùs censeo ego fr. Illuster Foresti Magister, ac sacræ theologiæ Regens, in Conuentu S. Mariæ Carmelitarum Venetiarum, manu propria.

Vides lector, quàm splendidè mentitus fuerit Aduersarius, quando asseruit, huiusmodi distinctionem à nullo fuisse, sub propriis terminis approbatā? Quid diceres, si legeres etiam approbationes tot aliorum Doctorum, ac theologorū, quarum censum init apologia? Quid, si tibi vniuersas approbatorum paginas explicarem? Tu verò, Aduersari, contra has, quid opponis infælix? Tria opponit. Primū est, *hos auctores fuisse deceptos, eo quòd illis doctrina nō innotuerit, quā approbarūt; adeoque testificationes has esse obreptitias,*

ptitias, & subreptitias. Alterum est, *hos esse Doctores nullius pretii, præ suis reprobatoribus*. Tertium, *has testificationes esse magna ex parte contradictorias, & omninò falsas.*

Ad primum sic respondeo. *Huiusmodi Doctores, & theologi, quos adduxi, fuere decepti?* In quonam! Dices, *quia distinctionem, obiectiuè, & formaliter, illis non patefecisti.* Non patefeci? O Deus immortalis! fiernè potest, inueniri homines adeo impudẽtes, vt imperterrita frõte, negare non erubescant, quod præ oculis habent? Non patefeci? Quid quæso te, significant illa verba, *ex quo elicio, hanc propositionem, aliud Verbum diuinum est incarnatum, quamuis sit formaliter falsa, & impia, esse tamen obiectiuè veram?* Nũquid hoc est proponere distinctionẽ illã, sub proprijs terminis? Tu ergo negas euidenter agnitam veritatem, adeoque mentiris in Spiritum sanctum. Deinde quid approbarunt illi, quando dixerũt, *censeo dictam propositionem, aliud Verbum est incarnatum, &c. non esse censura theologica dignam? Nihil contineri in hac doctrina, quod repugnet catholicæ ueritati, immo illam esse probabilem, piam, & doctam?*

Quam

Quam doctrinam approbarunt, cum dixerunt, *te, omnesque illam damnantes, esse ignorantes, temerarios, ad pauca respicientes, pueros, philosophiæ dogmatibus repugnantes, audaces*, alijsque huiusmodi vocabulis honorarunt? Profectò si latinã noueris locutionem, non aliam approbarunt doctrinã, quã distinctionem illã *obiectiuè*, & *formaliter*, applicatam illi propositioni, *aliud Verbum, &c.* Ergo non illi, sed tu deceptus es, qui insana cordis uecordia, ad omnem sensum pietatis, atque omne ueritatis iubar contabuisti. Demum, hi doctores decæpti sũt? Caueslis, nè te alij audientes, ut insanum derideat. Ais, illos approbasse, quod minimè intelligebant? Per te igitur (ut toties oretenus dixisti) fuerũt *imprudẽtes, iniusti, ignaui, impij, & hæretici*? *Imprudẽtes*, quia in re graui, sententiam tulerũt, incognita causa: *Iniusti* quia reo (ut asseris) litem adiudicarunt: *Ignaui* quia se trahi ab alio permiserunt, ad illud, quod noluissent: *Impij*, quia suis testificationibus (iuxta tuum dictum) iniuriã Deo grauissimam intulerũt: Et demum *hæretici*, quia doctrinam per te hæreticam, ut ueram, & catholicam approbarunt.

runt. Hæccine sentis de uiris, religioso vitæ instituto, pietate, doctrina, authoritate insignibus, & nulli secundis? Hæccine sentis de supremis Sancti Romani Officij Qualificatoribus? illisque ignorantiæ, inuitiæ, impietatis, hæreseos notam inurere non erubescis?

Ad comparationem autem, quam secundo loco facis, inter illos, & tuos reprobatores, profectò non possum, in cachinnos effusissimos non erumpere. Nolo tuos nominare, vt videlicet, in toto isto libello, nullius planè mētionem faciam, explicito nomine, ad dedecus, & infamiam. Cæterum, si illos nominarem, illorum sola nominis publicatione, te cū illis ridiculum facerem. Qui sunt isti tui reprobatores, præter aduersarios? Tot annos insudasti, in huiusmodi reprobationibus extorquendis. Quid tandem effecisti? Credidissem, tecum sentire ferè omnes Europæ academias, & infinitum recenseri catalogum reprobatorum. Minimè, vero. Vis scire quot sint? Duo tantum. Vis scire quales? Sunt duo fraterculi, minimi minimorum, alter cognomento e scurrilitatibus indito, *frater scurra* passim nuncupatus, & alter, ob suam.

suam desipientiam anonimus, vix sibi notus, nam impos mentis, minimè sibi constat. Primus nunquam fuit lector, non dico theologiæ, sed nè ipsius quidē logicæ, cū adhùc vt auditor, sub alterius præsidio tueatur conclusiones, quem vt discipulum, ex cathedra pessimè disputantem, non multis ab hinc mensibus, hisce oculis vidi, hisque auribus audiui; adeo vt in sua religione, tandem, vt gloriarum suarum apicem, obtinuerit facultatem, ad rusticos concionandi, in vno pago, & legendi ad mensam in trichlinio, sodalibus prandentibus, vel cœnantibus. Secundus verò, vix contemplatrices attigit facultates, cùm Venetijs vt incapax reiectus (quantum ego audiui à fratribus eiusdem Ordinis.) Veronam fuerit relegatus ad hortos expurgādos. Et bene vterque, abiit in malā crucem; nam flagitij conscij, conscientia adiudicante, responsūm periurio dignum formidabant. Hinè igitur): or Doctoribus præponendi; Horum nè iudicium (quod sentio quā sit exiguum tot præclarissimorum hominum iudicio præfers? Scilicet cæcus, cæcos eligit, ad iudicandum de coloribus, & Argos increpat vt pessimè.

mè iudicantes, immo vt ineptos ad iudicandum.

Præterquamquòd ego non assero, meam doctrinã esse euidentem, sed solũ probabilem. Probabilitas autẽ habetur ex aliquorũ approbatione, & aliquando etiam ex approbatione vnius tantùm, insignis auctoritatis. Cùm igitur mea doctrina non solum habuerit approbatores numerò innumerabiles, sed etiam irrefragabilis auctoritatis, quãuis multos simul haberet oppugnatores, eius tamen probabilitas non tolleretur, quod mihi est satis.

Ad tertium, tua oppositio tres habet partes. Prima est, *omnes has testificationes esse obreptitias, & subreptitias*: Secunda, *magnam illarum partem esse contradictorias*: Tertia *omnes esse omninò falsas*. Ad responsionem aduerto, scripturam obreptitiam esse illam, quæ obtinetur, aliquid supponendo, quod non est; Et subreptitiam, quæ obtinetur, aliquid reticẽdo, quod exprimi debuisset. Ad hoc ergo vt Aduersarius probaret, has testificationes esse obreptitias, & subreptitias, debuisset exprimere, quid fuerit expositum, quod erat tacendum, & quid

fuerit

fuerit prætermissum, quod prætermitti nō debuit. Vultis audire, quomodo probet vtrumque? Ecce eius verba, *feci aliquam diligentiam, sed non exactam, ob locorum distantiam, & regionum diuersitatem, idest Salmanticæ, Compluti, &c.* Et deinde post quam nominauerit varias Vrbes, pergit, *creditisnè, me habere suspicionem, an certitudinem, sicut omnes sunt obreptitiæ, & subreptitiæ, ita earum plerasque esse contradictorias, & omnes omninò falsas?* Quæso considerentur hæc verba, *feci aliquam diligentiam, sed non exactam.* Quomodo ergo potes asserere certitudinem, quòd omnes sint falsæ? Ad hoc vt falsitas deprehēdatur, debet fieri exactissima diligentia. Deinde *habeo suspicionem, & certitudinē.* Quomodo possunt simul hæc duo copulari suspicio, & certitudo de eodem obiecto? Tertiò, si plerasque sunt contradictoriæ, quare non assignatur cōtradictio? Quartò si omnes sunt falsæ, cur saltem eæ, quæ Venetijs factæ fuerunt, non accusantur vt tales? Curasti testificationem a P. Laurenti, de eo, quod non debebas, numquam enim in apologia asseritur, te cum illo, de me fuisse locutum. Siquidem optimè sciebā

quam

quam responsionem habueris ex tali docti∫∫imo Patre, cum ab illo inuitatus ad arguẽdũ ∫ecũdo loco, recu∫a∫ti, dicẽdo, *te vt Ie∫uitã argumentari ∫ecundo loco non po∫∫e*. Cui Pater re∫pondit, *à ∫e nullum eo tempore Venetijs morantem agno∫ci Ie∫uitam, ni∫i vnũ apo∫tatam, & ignorantẽ*. Cur igitur ab eo, de quo cauari non potes di∫tantiam loci, cùm Venetijs maneat, cur inquam, ∫cripturam aliquam non obtinui∫ti, qua illius te∫timonij fal∫itas innote∫ceret? Cura∫ti quidẽ, vt ille optimus Pater caneret palinodiã, ∫icut fecere fratres illi ∫curriles, de quibus ∫upra meminimus, ∫ed aliud, quàm exprobationem tuæ petulantiæ conuenientem, ex illo non habui∫ti. Ergo ∫altem eius te∫tificatio e∫t vera. Non ergo omnes fal∫æ. Sed eodem modo ∫e habent reliquæ. Ergo omnes ∫unt veræ.

Dices primò, cur in manu∫cripta nomina Mediolanen∫ium tacui∫ti, quæ vulgauit impre∫∫a? Re∫pondeo, causã fui∫∫e quia cũ illa approbatio, producta e∫∫et in actis, quando me à tua delatione expurgare debui, nominum non recordabar. Ferdinandus autem nouam notitiã ex ij∫dem Patribus Mediolano curauit.

Et ideo illa singillatim expressit. Placetne tibi ratio?

Dices secundò. Cur frater D.... tibi contradicit in sua scriptura? Respondeo negando antecedens! Nam hic frater illudit quidem interrogantem, dum ad interrogata de propositione directa, respondet de reflexa, nihil tamen dicit contra meam doctrinam, si attentè eius verba considerentur, immo illam apertissimè approbat. Quare illius testificatio mihi potiùs fauet.

Dices tertiò, omnes hæ testificationes supponunt, fuisse datam distinctionem *obiectiuè*, & *formalites*: Sed hæc verè data non fuit. Ergo sunt obreptitiæ, quia supponunt quod non est. Priusquam respõdeam aduerto, Aduersariũ temerè, nunc concessisse, quod supra ardentissimè negauit, videlicet, has testificationes non supponere, fuisse datam distinctionem, & ideo illas vocari subreptitias, ex ignorantia talis distinctionis. Quare sibi contradicit, eiusque cõtradictio meã cõfirmat respõsionẽ. Nã ita possũ retorquere argumentũ cõtra ipsũ, per te sunt obreptitiæ. Ergo non subreptitiæ, quia non est occultata distinctio. Hoc posito, nego

go minorem. Ad cuius falsitatem probandam, expectaret hìc Aduersarius, vt magnam recenserem testimoniorum iliadem, quibus Notariorum fide signatis, ea quę ipse adducit, vt falsa repellerē. Nihil tale. Testimonia sunt necessaria, vel mēdaci, cuius fides est suspecta, per hoc quòd sæpe coniungatur cum falsitate, vel loquenti de rebus remotis, & incognitis. Mihi tamen testimonia necessaria minimè duco, non solùm, quia scio, nihil vnquam á me assertum fuisse, quod verissimum non sit, sed etiam quia loquor de rebus his temporibus, Venetijs actis, & omnibus notis, quippe quæ omnium versantur ob oculos, & nulli sint incognitæ. Nolo igitur controuersiam transferri ex Aduersario ad testes quibuscum ego disceptare, nec debeo, nec volo. Vt autem videat Aduersarius, quàm dispari pugna contendere meditetur, dum testium numero vincere cogitauit, sciat, prò meis partibus (absit inuidia verbo, nam meæ partes sunt partes veritatis) recenseri potuisse, non tantùm discipulos, & imberbes, sed Senatores præcipuos, quorū habeo testificationes amplissimas, ip-

sumque

simumque Serenissimum Principem, Reipublicæ clauo,ec tempore incubantem. Quem his opponeres, Aduersari? Quæ tamen est necessitas ad id probandum, de quo quinquennium disputauimus? Bone Deus! Si propositioni supra relatæ distinctionem illam, vna cum illustrissimo Defendente, argumento non dedissemus, cur de illa nos vt hæreticos accusasses? Cur illam priuatis, publicisque conclusionibus impugnasses? Cur ad illam auctoritate firmandam, me ad curandas Doctorum testificationes, Romā, alijsq; ex Vrbibus adegisses? Cur totā impleties Vrbem clamoribus, & strepitu, illam esse nouam, inauditam, impiam, pestiferam, hæreticam, & blasphemam? Intelligo tuas fraudes, Aduersari. Tuæ Notæ sunt artes, & astutię. Doctrinam quippe negantem ens rationis obiectiuum, vt hæreticam accusasti. Cū autem accusationē sustinere non posses, tot auctorum oppressus auctoritatibus, in illam distinctionem, furorem conuertisti; Quā cum solo prostrare non valueris, illā vnquam illatā inficiaris. Eo planè modo, quo ille Asię terror, cum Gordianū nodū digitis explicare nō posset, ense

ense abscidit, vt fatum vel impleret, vel eluderet. Verùm velis, nolis, propositionem illā distinximus; nec desunt scripta testimonia ad hoc probandum, quorum fasciculos plenissimos habeo, & omnibus ostendam, qui illa videre voluerint. Nè tamen (ut dixi) controuersiam redigam ad nobiles discipulos, & Spectatores, quorū ego semper obsequentissimus fui, & quibuscum (vt dixi) cōtendere nūquam uolui, redeo ad Aduersarium, & cum illo ita sermonem instituo. Vel quando ego dixi, me distinxisse illam propositionē, tu putabas, me apud alios fidem consecuturum, uel non? Si primū. Ergo mihi creditur absq; testibus, adeoque meum dictū sine testibus, tāti ualet, quāti tuū testibus confirmatū. Si secūdū, cur adducere tot testes ad tollēdam illā fidem, quam non habebam? Auctoribus non est opus testimonijs; aliter, quando citamus D. Thomam, Scotum, &c. deberemus semper nobiscum ducere Notarium, cum quatuor testibus, ad probandum, uerā esse, quod ex illis adducimus. Sicut ergo potest probari dicti ueritas ex hoc, quòd horum auctorum libri, ab Auditoribus possint recenseri; ita, &

multò

multò magis probãtur asserta, per hoc, quòd uiui, & præsentes inducantur approbatores, quos singuli possent interrogare, quicunque hoc, uel illud ab illis dictum inficiantur. Cùm ergo in manuscripta (quam Aduersarius numquam fideliter citat) nobiles, Senatores, & Principes adducantur in testes, quicunq; nõ crediderit, illos interroget. Prȩterea huiusmodi uiri non permitterent, suum nomen adhiberi, in testimonium falsitatis. Est euidens igitur illatio. Illi hoc non solùm permiserunt, sed patrocinati fuerunt. Ergo est uerũ. Insuper quotiescunque propositio est anceps, quamuis cõcedatur ab aliquo simpliciter, uel negetur, nõ potest ille damnari, nisi explicet, in quo sensu locutus fuerit. Cùm igitur propositiones illæ sint ancipites, & exponibiles, quamuis ut ueræ cõcessæ fuissent, ueritate transcendentali (quod huc usque statuimus esse falsum) non possemus exinde damnari, si deinde explicaremus, illas concessas tantùm à nobis esse, in sensu obiectiuo, non autem in formali.

Dices quartò. Ergo *poßet aliquis negare aliquã propositionem, & post bienniũ inuenire*

inuenire arguentem, & illi dicere, amicè, biennio ante negaui talem propositionem, quam nunc ita distinguo, &c. Sed hoc est ridiculum. Ergo, &c. Nego maiorē; Aliud enim est, quòd respōdēs ipse, sua sponte adeat arguentem, & ante illū non interrogātē pronūtiet, distinctionē illius propositionis, quam biennio ante, absolutè concessit; & aliud, quòd ipse vexatus deinde ab arguente, de tali responsione, se explicet, in quo sensu negauerit, vel concesserit. Primum est ridiculū, & ineptū, neque facit ad rem nostram; & secundū video, à præcipuis Reipublicæ litteratæ luminibus factitatum. Vt igitur applicē ad rem præsentem non, ego te arguentē adij, sed tu me respondentem accusas, tamquam hæreticum. Quænam igitur esset risus materies, si vexatus à tuis delationibus, quia tales concesserim propositiones, deinde me explicarem in quo sensu concesserim? Attuli igitur distinctionem. Et si illam non attulissem, adhùc tamen, possem ab omni nota subtrahi, dum illam affero.

Dices quintò. Hæc distinctio non potest cadere supra illam propositionem reflexam, *hæc propositio* equus est rationalis,

nalis, est propositio falsa, quãuis cadat supra directã. Ergo siue tũc fuerit adducta, siue nunc adducatur, numquam te illam negantẽ eximit à cẽsura. Priusquã respondeã, aduerto, vsq; adhùc Aduersariũ semper contendisse, a me fuisse cõtrouersam propositionẽ absolutè cõcessam, & non negatam; & ideo ex alio diuino Verbo, seu Deo, nomen conatus est indere *alterius Dei*. Hoc posito, nego cõsequẽtiã, Cuius falsitatẽ, euidẽter primò probo ex eo, quod huiusmodi propositio nostrã conclusionẽ nõ impugnasset; Ex eo enim quòd aliqua propositio sit falsa, & hæretica, non video quomodo probetur, dari ens rationis obiectiuum, quod probari debet. Et ideo numquam expressit huiusmodi consequentiam, nè illius pateret absurdum, ex eoque mendacium inuentionis. Vt autem euidẽter appareat, propositionem controuersam fuisse illam directam, *equus rationalis est aliquid impossibile*, & non aliam reflexã, ab ipso excogitatam, refero fideliter ipsius verba. Conclusio impugnanda erat hæc, *non datur ens rationis obiectiuum*. Contra quam ita ait, se fuisse argumentatum, *ens rationis est illud* (sunt verba

Aduer-

Aduersarii) *quod habet esse obiectiuè tantùm in intellectu. Sed datur id, quod habet esse obiectiuè tantùm in intellectu. Ergo datur ens rationis.* Ad probandam minorem, ita se ait argumentatum, *aliquando intellectus dicit, equus est rationalis. Sed ista propositio, equus est rationalis, habet esse obiectiuè tantùm in intellectu. Ergò datur id, quod habet esse obiectiuè tantùm in intellectu.* Ad minorem negatam hanc ait, se attulisse probationẽ, *hæc propositio equus est rationalis, est propositio falsa, ergo habet esse obiectiuè tantùm in intellectu.* Considerentur quæso hęc pauca, & videamus, an hìc discursus sit probabilis? In primis ad probãdam minorem primi syllogismi, ait, se attulisse hãc proposit. *Sed ista propositio equus est rationalis, habet esse obiectiuè tantùm in intellectu.* Quid dicis Aduersari? fieri ne potest, vt spatio tot annorum huius dictinõ cognoueris absurditatem! *Sed ista propositio, &c.* De quo loqueris? de propositione, an de obiecto ipsius? Si de propositione, fieri ne potest, te esse adeo stolidum, vt nescias, illam vt actum vitalem, & immanẽtem, esse subiectiuè in intellectu? Quomodo ergo verificaretur de illa, quòd habeat

tantum est obiectiuè? Deinde quid intelligis per ly *habet esse obiectiuè tantùm in intellectu?* Si aliquid possibile, & reale. Ergo quamuis totum concederetur argumentū, nihil probares contra conclusionem, negantem solùm impossibile obiectiuum; adeoque ineptè argumentaris, quia non probas, quod est probandum. Si aliquid impossibile. Ergo hæc propositio fieri non posset. Non ergo tu illam attulisti, qui chimeram facere non potes; Vel si illam attulisti, ergo non est aliquid impossibile, & per consequens adhuc ineptè argumentaris, quia non probas impossibile. Vel ergo illam attulisti, vel non? Si primum, ergo nō est impossibilis, quia defacto fuit extrà causas. Si secundum; ergo dicendo, te illam attulisse, mentiris. Primum facit te stolidū, & ignorantem, secundum mendacem. Ergo tuus discursus est ridiculus. Si verò loquaris de propositionis obiecto, ergo quando dicis, *sed hæc propositio, &c.* illam accipis obiectiuè, adeoque admittis meam distinctionem. Et deinde illius obiectum quid est? Vtique non propositio illa, *equus est rationalis*, de qua redirēt argumenta superius facta. Ergo eius ob-

iectum,

iectum, videlicet *equus rationalis*; adeoq; coincidis cum meis dictis, & repugnas tuis. Præterea quomodo probas illam minorem? Audiamus eius verba, *hec propositio equus est rationalis, est propositio falsa; ergo habet esse obiectiuè tantùm in intellectu.* O egregiam consequentiam! Omnis ergo propositio falsa erit impossibilis? Quid habet commune falsitas cum impossibili obiectiuo? Tuus iste discursus est falsus, & tamen non est impossibilis obiectiuè, quia de facto fit. Vel ergo tuũ argumentum non fuit hoc, vel non fuit ad rem. Cõtrà verò, quantò melius tuã causam promouisses, si argumentum à me relatũ, & verè adhibitum non repudiasses, *possum cognoscere equum rationalem, sed equus rationalis est aliquid impossibile, ergo poßum cognoscere aliquod impossibile?* Saltem si nihil probasses hoc modo, non ineptè fuisses argumentatus.

Atque hæc dicta sufficiant in præsentia. Nam ad alia, quæ opponit circa patriam, ortum, familiam, doctoratum, &c. vtpotè ad doctrinæ defensionem minimè facientia, hìc respõdere nec debeo, neque volo. Non debeo, quia apertissimis verbis semper proclamaui, me

Ergo mea doctrina est hæretica? Nego cō-sequentiam. Concedat mihi palmam in eo, de quo disputatur; Siquidem in cæteris, de quibus non disputatur, quidquid calumniarum obiecerit, non vt Aduersarius, sed vt inimicus, tamquam vocali indignum responsione, silentio præteribo; nobilitatem, familiam, patriam, aliosque honoris titulos, mihi conuenientes, extra disputationem, si fiat opus, propriore ratione propugnaturus.

Præterea nolo; quia cùm in disceptatione doctrinæ, apertissimam habeam rationem, & mecum sint auctores nostri temporis præcipui, nolò, inquam, ad alia transferre difficultatem, in quibus reijciendis, opus mihi esset, magnam facere auitæ nobilitatis pompam, maiorum arborem erigere, multa dicere, de parentum claritate, de splendore natalium, de vitę integritate, dèque alijs huiusmodi, quæ èx vna parte, magis me redderēt inuidiosum, & ex alia me retraherent ab illo vitę instituto, quod semper Venetijs professus sum, priuatam scilicet vitam degendi, vt maiore cum libertate, ad scientiarum acquisitionem, & virtutem christiano homine dignam, quantum possim

possim, incumbam, quas vnicè, tamquã finem intueor, in omnibus meis studijs, exercitationibus, operibus, desiderijs. Quandocunque igitur, mihi concedant Aduersarij, doctrinas, quas docui, esse catholicas, & pias, meque Romanę fidei propugnatorem, non autem oppugnatorem, cum illis mihi negotium nõ erit. Nam in cæteris, libenter vexari patior, quamuis possem facilè vincere, asserens cum Apostolo 1. ad Cor. c. 4. *nos stulti propter Christum, vos autem prudentes in Christo, nos infirmi, vos autem fortes; vos nobiles, nos autem ignobiles, &c.* Ego satis superque sum cognitus. Mei sunt cogniti parentes, & consanguinei; Et sũmo Dei beneficio, possum aperta fronte, noctuq; diuque per aulas Principum, cætusque nobilium diuagari; Non enim timeo, nè aliqua mihi contracta macula obijciatur, undè occasionem habeam, coràm alijs, tamquam minus habens, erubescõdi. Contrà uerò notus es Aduersari. Tua nota mater, notæ for... Tace lingua, nè pudicis auribus scandalũ facias. Quamobrem hãc unã timeo pudoris causam, nè uidelicet temporis processu, exprobrationem subeam à nobilibus consan-

gui-

guineis, quod Aduersarium habuerim adeo uilem. Et ideo ut huiusmodi exprobrationem eundem, illum numquam in toto hoc opere, nomine proprio compellaui, nec umquam, quantum spectat ad me, compellabo, quia scilicet indignum duxi, qui uel ad opprobrium nominetur à me, à quo tantùmdem illi gloriæ, & honoris, quantum mihi dedecoris deriuaret.

Ad ea uerò, quę obijciuntur, e Sāctissimo Inquisitionis Officio, unico uerbo respondeo, me de illo uenerabili magistratu, numquam locutum fuisse, nisi honorificentissimè, ut potest uideri in omnibus meis libris, in quibus passim appellatur *sanctus*, *integerrimus*, *sacrosanctus*, *fidei propugnaculum*, *veritatis asylum*, *&c.* Quare non uideo, quo uel minimo fundamento redarguar, vt maledicus in illum. Dicendum igitur est, scommata illa, & probra, quę in sua epistola, suo nomine vulgata, congerit Aduersarius, non à me, sed ab illo fuisse inuenta, vt contra fidei Romanæ sacrariū contorqueret. Neque abest facti probatio non contemnenda. Nam in primis, illa verba nefaria, quæ ipse vt mea recēsere

sere nō erubescit, nusquàm inueniuntur in meis libris, vt potest videri. Mentitur ergo quoties ad marginem, meorum librorum loca comminiscitur, seque vnū indigna isthæc verba proclamant patrē. Et ideo ipse, vt mendacium corā vulgo tegat, quotiescunque aliquid comminiscitur, manuscriptam citat apologiam, vt uidelicet possit addere, demere, permutare, & peruertere quidquid uult. Deinde vehemēti fuit indignatione cōmotus, cū post allatam à se Sanctissimo Tribunali delationē, ab illo vidit, me benignè amplexatū, vt innocentem Abelē, se verò vt perfidum, inuidumque Cainū repudiatū. Et ideo ex eo vsq; tempore, venenata scommata cæpit eiaculari, in sacrosanctum Tribunal, & vt illud feriret impunè, meam manum, vtpote innocentis, adhibere statuerat ad vulnerandum. Verùm viuat Deus, qui quamuis permittat aliquando, Iosephos ad carceres à scelestis raptari, vt adulteros, illos tamē erigit e patibulis ad purpuras, ad solia, & ad imperia. Detecti euanuere cuniculi, & ipsemet insidias, & laqueos parans, *incidit in foueam, quam fecit*. Et ideo nulla mihi vnquam fuit occasio, que-

querendi de Sanctissimo Tribunali, immò illud summopere celebrãdi. Quãuis enim, coram illo, doctrinam meam Aduersarij, vt hæreticam accusauerint; Nõ tamen proinde iniustam ab illo damnationẽ, quod vtique voluissent, obtinuere. Siquidem illud, ut iustissimus iudex, me tãquã innocẽtem cõmendauit, doctrinã tamquam optimam absoluit, accusatores autem damnauit ut impostores. Ex quo patet, quàm falsum sit, mihi umquã interdictum fuisse, publicas propugnare conclusiones, cùm nullus, pænedixerim, Venetijs fuerit, qui sępiùs, expositis publicè conclusionibus, ijsque impressis, cum omnium facultate superiorum, de rebus philosophicis disputauerit. Testẽ uoco non vnum, aut alterũ ex nobilibus uiris, sed Serenissimum Carolum Cõtarenum, *cuius memoria in benedictione est*, sed uniuersum Reipublicę potentissimę augustissimum Senatum, quorum benignitate factũ est, ut nõ in aulis priuatis, nõ in templis angustis, sed in ipsa regiarum ædium amplitudine, sub ipsa regalis cornu Serenissima maiestate, sub ipso Senatoriæ purpuræ iubare, coram toto Senatu, in aula superbissimi palatij maxima

INDEX

Rerum notabilium.

A

Chimæra. Vide impossibile, impossibilitas, ens rationis metaphysicum.

Christus D. quomodo dicatur homo Deus 316. habet duplicem existentiam per Scotum, creatam, & increatam 322 Est creatura 329. potuit mori, adeoq; etiam incipere. 331

Cognoscibilitas sequitur ad rationem entis 382. non tamen indirectas, & abstractiua. 395

Cognitio falsa sequitur naturam intellectus veri, vnde procedit. 383

Compositum, seu totum physicum non potest cum alio identificari secundùm vnã partem, quin identificetur secundùm omnes; hoc autem non valet de toto metaphysico, & cur? 41. Compositum metaphysicum non dicit veram identitatem cum suis partibus 40. non est aliud, quàm partes 41. Compositum physicum diuisibile, potest secundũ aliquid suî identificari cũ alio inadæquatè, quin aliæ partes cũ eo identificentur, quod non valet de indiuisibili, vel de identitate adæquata, & cur? 43. Indiuisibile propriè non est compositum. 44

Quomodo intelligatur illud principium: contrariorum eſt eadem diſciplina. 141

Cõsequẽtia tenet ex negatiua ad affirmatiuam

 uam

natur

F

suc.

In-

Partes

Errata	Corrige
pag.29.craſſiore	craſſiore
pag.36.innicem	inuicem
pag.57.ſi perfectio	ſit perfectio
pag.59.cenſeo	cenſeo
pag.61.in diui nus	in diuinis
pag.61.contradictorum	contradicto-rium.
pag.62.ſimplex	ſimplex
pag.66.cotruptibile	corruptibile.
pag.69.diſtingendo	diſtinguendo.
pag.90.afficam	affixam.
pag.94.ſeparatum	ſeparatum.
pag.94.conſequeutiā	conſequentiam.
pag.113.Pater	Patre
pag.113.communica annuego	communicatum, concedo.
pag.136.impoſſibili	impoſſibili
pag.139.ſit eórum	ſit eorum.
pag.165.Auſtug.	Auguſt.
pag.167.& ar.con.idol.	& or.cōtra idol.
pag.171.per virtutem	per ueritatem
pag.176.facciant	faciant.
pag.182.Pontificiom	Pontificum.
pag.183.hæreſos	hæreſeos.
pag.215.fundantur	fundentur.
pag.222.in qua 7.	7.,in qua
pag.222.confixit	confinxit.
pag.223.quæ fecerint	qui fecerint

pag.223.

pag.223.excusarem	excusarem
pag.22[illegible].coluerit	coluerint
pag.256.admittente	admittentem
pag.262.proprius	propiùs
pag.288.ipsæ	ipsi
pag.286.fotmaliter	formaliter.
pag.307.posito quòd necessariò	posito quòd hæc necessariò
pag.308.facceret	faceret.
pag.311.sub.sect.	subsect.
pag.336.idea fotmalis	formalis.
pag.337.finet	fine
pag.337.seusu	sensu
pag.338.iu	in
pag 371.*fide niger,&*	*fide orbus,*
pag.388.intellectu	in intellectu
pag.391.im impossibile	impossibile
pag.421.hæe	hac
pag.422.Verbum	aliud Verbum
pag.432.era Columq;	æra,columque
pag.436.audaciter	audacter
pag.476.absolut	absolutè.
terminis uidelicet?	terminis,uidelicet
pag.505.arguentem non.	arguentem ,non



